MASTER
NEGATIVE
NO. 92-81127-24

AUTHOR:

SCHULZ, ERICH

TITLE:

DE DUOBUS STRABONIS FONTIBUS

PLACE:

ROSTOCHII

DATE:

1909

Master Negative #

92-81127-24

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Schulz, Erich, 1882-

De duobus Strabonis fontibus; dissertatio inauguralis quam ... scripsit Ericus Schulz ... Rostochii, typis expressit officina Winterbergii, 1909.

71 p. $21\frac{1}{2}$ cm.

Thesis, Rostoch, 1909.

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 3-2-93 INITIALS Susan

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

De Duobus Strabonis Fontibus.

Dissertatio Inauguralis

Quam

Ad Summos In Philosophia Honores
Ab Amplissimo Philosophorum Ordine

Academiae Rostochiensis

Rite Capessendos

Scripsit

Ericus Schulz
Megalopolitanus.

Rostochii MCMIX.
Typis Expressit Officina Winterbergii.

De hac dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulit Professor Dr. Joh. Geffcken.
Examen rigorosum habitum est D. III. M. Martii A. MCMIX.

Praefatio.

Quamquam easdem difficultates, quae in universum in fontibus veterum scriptorum indagandis exsistunt, apud Strabonem quoque inveniri per se manifestum est, tamen de geographo quaerentibus via vel maxime spinosa initur. Nam Diodorus aliique cum saepe parum ingeniose fontem suum compilent, Strabo intellegentem scriptorem se praebet neque raro, ut erat vir magnae doctrinae et in veteribus scriptis multum volutatus, ex diversis diversorum auctorum relationibus summa diligentia telam tam artificiosam contexuit, ut aut summo cum labore aut omnino non retexatur. Accedit, quod geographus etiam multos auctores et ipse legit et una per alios scriptores in suum usum convertit. Itaque de duobus Strabonis fontibus, Clitarcho et Polycleto, pauca quaedam prolaturus hanc quaestionem ita instituam, ut, antequam ad rem ipsam aggrediar, nonnullis exemplis illustrem, qua in auctoribus laudandis ratione geographus usus sit.

Strabo in libro XV. Indiam, Arianam, Persiam descripsit. Cum ipse numquam illas terras adierit, unice pendet e scriptorum narrationibus, qui de his regionibus commentati erant. Hi sunt vel imprimis comites Alexandri Magni et qui paulo post Seleucidis regnantibus eo pervenerant: Aristobulus, Ne-

archus, Onesicritus, Megasthenes, alii testes laudantur. Hi autem omnes scriptores inter se artissime cohaerent; qua re ipsa difficultas totius quaestionis continetur. Strabo enim cum illis auctoribus ipse utatur, eorundem etiam alium alio intercedente adhibet. Cuius rei iam exemplum afferam. Pag. 690 enim de Indiae cum Aegypto similitudine disputat et Onesicritum testem affert, ut hippopotamum in fluminibus quoque Indiae inveniri demonstret: Ὀνησίκριτος δὲ καὶ τοὺς ἵππους γίνεσθαί φησι. Cum autem p. 707 eandem Onesicriti sententiam legamus, cuius loci Aristobulum esse auctorem constat, hunc illius librum in suum usum convertisse atque Strabonem illud Onesicriteum ex Aristobulo hausisse apparet. Namque Onesicriti sententiam p. 707 a geographo non e memoria additam esse e comparatione cum Arriano: Ind. VI 8 intellegitur, ubi eadem res exstat.

Aristobulum ex Onesicrito hausisse, id quod iam Vogelius in dissertatione, cui inscripsit: »de fontibus quibus Strabo in libro quinto decimo conscribendo usus sit«. Gotting. 1874 p. 8 rectissime sensit, etiam multis ex aliis locis intellegi potest et inter omnes satis constat. Attamen praeter hunc scriptorem Aristobulo alios quoque auctores ad manum fuisse, ut Nearchum, Charetem, Callisthenem A. Fraenkelius in libro, cui nomen est. »Die Quellen der Alexanderhistoriker«. Breslau 1883 exposuit. Aristobulum autem multis locis per Eratosthenem apud Strabonem laudatum invenimus; velut p. 509 legimus: φησὶ δ' Ἀριστόβουλος ὑλώδη οὖσαν τὴν

Ὑρκανίαν δρῦν ἔχειν, πεύκην δὲ καὶ ἐλάτην καὶ πίτυν μὴ φύειν, τὴν δ' Ἰνδικὴν πληθύειν τούτοις. Hoc loco geographum ipsum scripta Aristobuli non inspexisse, sed nomen eius ex Eratosthenis libro exscripsisse iam Behrius in dissertatione: »de Apollodori Artamiteni reliquiis atque aetate.« Strassb. 1888 p. 12 demonstravit. Id enim aliunde [p. 510] apparet: Ἐρατοσθένης δέ φησι καὶ ἐν τῇ Ἰνδικῇ φύεσθαι ἐλάτην . . . . .

Scandimus igitur per hos gradus: Aristobulus ex Onesicrito, Nearcho, aliis haurit; Eratosthenes et Aristobulum et ceteros modo laudatos auctores adhibet; Strabo denique et Aristobuli et Eratosthenis et ceterorum scriptorum libros evolvit. Ac de hac quidem re in singulis locis interpretandis atque explicandis plura dicenda erunt.

Iisdem porro difficultatibus implicabimur, si, id quod mihi proposui, de Clitarcho et Polycleto disputabimus, qui scriptores inter se et cum ceteris supra allatis firmis vinculis continentur. Vogelius vero quod l. l. de his duobus Strabonis fontibus iudicavit, id mihi omnino non placet. Clitarchum enim Straboni praesto non fuisse perperam ratus de Polycleto paulo brevius disputavit. At utroque auctore Strabonem in libro XV. conscribendo multo uberius usum esse hac dissertatione me probaturum esse speraverim.

Cap. I.
De Clitarcho.

Quo tempore Clitarchus[1] opus suum conscripserit, nullo veterum testimonio exploratum habemus. Quare sententiae doctorum virorum de illo scriptore valde inter se dissident. Fraenkelius[2] quidem intra annos a. Chr. n. 304 et 300 Clitarchum librum edidisse censet. Sed vehementer erravisse virum doctum putaverim. Neque enim Clitarchus ante annum a. Chr. n. 280 scripsisse potest, quippe qui Patroclem iam adhibuerit.[3] Item inter omnes satis constat eundem non solum Nearcho[4] et Onesicrito[5] usum esse,[6] sed etiam scripta Aristobuli[7] et Megasthenis[8] manibus trivisse. Est igitur Clitarchi opus ex variis variorum auctorum memoriis conscriptum. Atque hoc ipsum diligenter tenendum est, quippe quod ad totam hanc quaestionem solvendam maximi momenti sit. Nam hac re semel cognita imago huius scriptoris plane commutata est. Agedum quaeramus pluribusne Strabonem quam adhuc perspectum est locis Clitarchi vestigia prementem deprehendamus.

1) Fragm. Clitarchi ap. Muell. Script. rer. Alex. Magni p. 74 sqq.
2) l. l. p. 82 cf. Schwartzii iudicium de hoc libro ap. Pauly-Wissowa s. v. Arrianus col. 1238.
3) Vid. infra p. 42.
4) Fragm. Nearchi ap. Muell. l. l. p. 58 sqq.
5) Fragm. Onesicriti ap. Muell. l. l. p. 47 sqq.
6) cf. Fraenkel. l. l. p. 140 sqq. et p. 154 sqq.
7) Fragm. Aristobuli ap. Muell. l. l. p. 94 sqq.
8) Fragm. Megasth. ap. Muell. F. H. Gr. II. p. 397 sqq. Cuius quaestionis pars absoluta est a Reussio in Mus. Rhen. vol. 57 N. S. 1902 p. 581 sqq.

Sunt autem qui putent Straboni opus Clitarchi per alios tantummodo scriptores innotuisse; quorum in numero etiam Vogelius est. Atque huic sententiae rectum quoddam inesse exempla quae sequuntur videntur demonstrare. Strabo enim p. 504/505 § 3 et 4 Amazonum fabulam copiose conscribit, cuius auctorem Clitarchum affert cum dicat: περὶ δὲ τῶν Ἀμαζόνων τὰ αὐτὰ λέγεται καὶ νῦν καὶ πάλαι, τερατώδη τε ὄντα καὶ πίστεως πόρρω. . . (505) τὴν δὲ Θεμίσκυραν καὶ τὰ περὶ τὸν Θερμώδοντα πεδία καὶ τὰ ὑπερκείμενα ὄρη ἅπαντες Ἀμαζόνων καλοῦσι, καί φασιν ἐξελαθῆναι αὐτὰς ἐνθένδε. ὅπου δὲ νῦν εἰσίν, ὀλίγοι τε καὶ ἀναποδείκτως καὶ ἀπίστως ἀποφαίνονται. καθάπερ καὶ περὶ Θαληστρίας, ἣν Ἀλεξάνδρῳ συμμῖξαί φασιν . . . Κλείταρχος δέ φησι τὴν Θαληστρίαν ἀπὸ Κασπίων πυλῶν . . . ἐλθεῖν πρὸς Ἀλέξανδρον. Strabonem hoc loco librum Clitarchi ipsum non volvisse, sed et totam narrationem ad Amazonum fabulam pertinentem et Clitarchi nomen ex libro Eratosthenis deprompsisse, ex eis manifestum est, quae subsequuntur, quippe quae cum antecedentibus artissime cohaerentia Eratosthenis esse demonstrari possint. Nam cum § 5 legamus a scriptoribus vana adulandi cupiditate commotis narrationes de Thalestri Amazonum regina excogitatas et fabulas Macedonum ab adulatoribus in gloriam Alexandri Magni fictas esse, haec omnia cum Eratosthenis doctri-

nam et rationem plane redolent,[1] tum iis quae Arrianus[2] eiusdem scriptoris de Macedonum fabulis sententiam afferens dicit simillima sunt. Quod si recte se habet, dubium esse non potest, quin haec descriptio ex Eratosthenis libro fluxerit.[3] Totius igitur narrationis auctorem cum facile esse Eratosthenem dixeris, Clitarchi nomen per illum memoriae proditum esse verisimile est.[4]

Neque ex Eratosthene tantum Strabo Clitarchi testimonium collegit, sed etiam a Posidonio Rhodio p. 491 § 5[5] et p. 293 § 1 accepit.[6] Utroque enim loco post Clitarchum Posidonius testis laudatur.[7] Porro quod p. 293 apud Strabonem legimus: ταῦτά τε δὴ δικαίως ἐπιτιμᾷ τοῖς συγγραφεῦσι Π ο σ ε ι δ ώ ν ι ο ς καὶ οὐ κακῶς εἰκάζει, satis certe concludere possumus Strabonem et narrationem et Clitarchi nomen sumpsisse e Posidonio multifariam exscripto, quippe qui hoc loco Clitarchum refelleret.

Itaque cum Vogelium[8] caute secuti Strabonem hic illic Clitarchi scripta etiam per alios accepisse viderimus, nunc iam demonstrare liceat, haud paucis locis Strabonis auctorem ipsum fuisse Clitarchum.[9]

---

[1]) cf. Reuss. l. l. p. 572 sqq.
[2]) Exped. V 3,1.
[3]) cf. Neumannum: Strabons Quellen im 11. Buch, Lpz. 1881 [p. 30.
[4]) cf. Fraenkel. l. l. p. 63.
[5]) Neumannus quidem l. l. p. 9 Strabonem hoc loco ipsum opus Clitarchi inspexisse existimat.
[6]) cf. Vogel. l. l. p. 23.
[7]) cf. Ohling: Quaestiones Posidonianae ex Strabone collectae. Diss. Gott. 1908, p. 36.
[8]) l. l. p. 23 et p. 35.
[9]) Fortasse autem primo obtutu quis in eo haereat, quod Strabo Clitarchum toto libro XV. semel tantum (p. 718) nominatim auctorem laudat, cum ceteros auctores ut Aristobulum, Nearchum, alios saepissime testes afferat. At prorsus eadem res est e. g. in Herodoto, quippe quem Strabo scriptoris nomine non laudato aliquot locis ad verbum fere exscripserit (Strab. p. 513 = Herod. I 202 et 215—216; Strab. p. 745/746 = Herod. I 195—200; Strab. 732—734 = Herod. I 131—136, 138, 140, cf. Vogel. l. l. p. 48/49). Quod Strabo p. 508 et Ctesiae et Hellanico et Herodoto omnem fidem abrogat, nihil offendit. Idem enim in Megasthenem quoque, Onesicritum, Nearchum quadrat, quos auctores quamquam p. 70 vehementer increpat his verbis: ψευδολόγοι et p. 698: τῶν παραδόξων ἀργικυβερνήτην, eisdem tamen copiosissime usus est.

Sed priusquam ad singula aggrediamur, in universum demonstrari posse mihi videtur eiusdem libros re vera ante oculos fuisse Straboni.

Ac Vogelius quidem hanc rem enucleari non posse ratus suspicatur tantum Clitarchum geographo per Timagenem innotuisse.[1] Quam sententiam esse perversam intelleget quicumque ipsa Strabonis verba quamvis leviter inspexerit.

Geographus enim apertis verbis in extrema paragrapho 69 (p. 718) testatur: τὴν δὲ λοιπὴν εἰκονογραφίαν παρ' ἐκείνου ληπτέον; quae quidem sine dubio non scripsisset, nisi Clitarchi scripta evolvisset. Accedit quod ex geographi usu dicendi repperisse mihi videor eum, si quem scriptorem ipse inspexerat, ita loqui solere. In libro enim secundo Strabo de meteorologia disserit, quam Hipparchus, quo utique usus est, docuerit.[2] Postquam autem paulo ante exposuit regiones mundi septentrionales geographo inutiles esse, verba addit haec:

---

[1]) l. l. p. 31.
[2]) p. 135 § 43.

ὁ δὲ βουλόμενος καὶ ταῦτα μαθεῖν καὶ ὅσα ἄλλα τῶν οὐρανίων Ἵππαρχος μὲν εἴρηκεν . . παρ' ἐκείνου λαμβανέτω.

Quibus expositis satis me docuisse putaverim Straboni ipsi opus Clitarchi praesto fuisse; nunc iam quaeramus, quantum geographus Clitarcho debeat. Certe vero p. 699 Clitarchum secutus est. Narrationem enim de simiis in extrema paragrapho 29 exhibitam Clitarcheam esse Aelianus testatur;[1] quae quidem cum antecedentibus adeo cohaeret, ut ab iis non possit dirimi nisi contextu narrationis omni dissoluto. Nam Strabo hoc loco ea, quae antecedunt, aperte respicit his verbis: **ἐν δὲ τῇ λεχθείσῃ ὕλῃ.** Unde sequitur, ut antecedentia quoque Clitarcho debeantur.[2] Atque hoc ita esse et Curtius et Diodorus testes sunt, quippe qui ea, quae apud Strabonem de silva illa perhibentur, inter se fere conspirantes memoriae prodiderint; descriptio etiam silvae apud Diodorum tam similis occurrit, ut tres illos scriptores Curtium, Strabonem, Diodorum ex uno eodemque fonte sua derivavisse constet. Quod quo dilucidius appareat, haec velim conferas:

[1]) N. A. XVII 25. ap. Muell. l. l. p. 80 fragm. 16.

[2]) Similiter atque hoc loco Strabo p. 690 scribit: ἐκ δὲ τῆς ἀναθυμιάσεως τῶν τοσούτων ποταμῶν . . . ὡς Ἐρατοσθένης φησί . . . ubi descriptio fluminum, quae antecedit, ipsa quoque Eratosthenis est. cf. Vogel. l. l. p. 8.

Strab. p. 698 § 29.	Curt. IX 1.	Diod. XVII 89.
. . . . . ἡ πρὸς τοῖς Ἠμωδοῖς ὄρεσιν ὕλη, ἐξ ἧς Ἀλέξανδρος κατήγαγε τῷ Ὑδάσπῃ κόψας ἐλάτην τε πολλὴν καὶ πεύκην καὶ κέδρον καὶ ἄλλα παντοῖα στελέχη ναυπηγήσιμα, ἐξ ὧν στόλον κατεσκευάσατο ἐπὶ τῷ Ὑδάσπῃ πρὸς ταῖς ἐκτισμέναις ὑπ' αὐτοῦ πόλεσιν ἐφ' ἑκάτερα τοῦ ποταμοῦ, ὅπου τὸν Πῶρον ἐνίκα διαβάς.	. . . . navigia exaedificari iubet, ut, quum totam Asiam percurrisset, finem terrarum, mare, inviseret. Multa materia navalis in proximis montibus erat . . . . Rex, duabus urbibus conditis in utraque fluminis, quod superaverat, ripa . . . Hinc, Poro amneque superato, ad interiora Indiae processit.	. . . τῆς δὲ πλησίον ὀρεινῆς ἐχούσης πολλὴν μὲν ἐλάτην εὔτροφον, οὐκ ὀλίγην δὲ κέδρον καὶ πεύκην, ἔτι δὲ τῆς ἄλλης ὕλης ναυπηγησίμου πλῆθος ἄφθονον κατεσκεύασε ναῦς ἱκανάς. διενοεῖτο γὰρ ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς Ἰνδικῆς παραγενόμενος καὶ πάντας τοὺς ἐγχωρίους καταστρεψάμενος διὰ τοῦ ποταμοῦ καταπλεῖν εἰς τὸν Ὠκεανόν. ἔκτισε δὲ δύο πόλεις, τὴν μὲν πέραν τοῦ ποταμοῦ, καθ' ὃν τόπον αὐτὸς διέβη, τὴν δ' ἄλλην, ἐν ᾧ τόπῳ τὸν Πῶρον ἐνίκησεν.

Atque hic communis fons qui fuerit, satis perspicue elucebit ex his:

Diod. XVII 90.	Curt. IX 1,9 sqq.	Aelian. XVII 2. Clit. fragm. 15 ap. Muell.
. . . δένδρων γὰρ εἶχε γένη διαλλάττοντα καὶ τὸ μὲν ὕψος ἔχοντα πηχῶν ἑβδομήκοντα, . . . εἶχε δὲ καὶ ἡ χώρα ὄφεων πλῆθος, μικρῶν μὲν τοῖς μεγέθεσι, ταῖς δὲ ποικιλίαις ἐξηλλαγμένων· οἱ μὲν γὰρ χαλκοειδεῖς ῥάβδους ἐπέφαινον, οἱ δὲ τὴν λόφην δασεῖαν εἶχον τριχώδη, διὰ δὲ τῶν δηγμάτων ὀξεῖς θανάτους ἀπειργάζοντο. τὸν δὲ πληγέντα πόνοι δεινοὶ συνεῖχον καὶ ῥύσις ἱδρῶτος αἱματοειδοῦς κατεῖχε . . . . μετὰ δὲ ταῦτα παρὰ τῶν ἐγχωρίων μαθόντες τὴν ἀντιφάρμακον ῥίζαν, ἀπελύθησαν τῶν δεινῶν.	. . . . Silvae erant prope in immensum spatium diffusae procerisque et in eximiam altitudinem editis arboribus umbrosae . . Ceterum hic quoque serpentium magna vis erat, squamis fulgorem auri reddentibus. Virus haud ullum magis noxium est: quippe morsum praesens mors sequebatur, donec ab incolis remedium oblatum est.	Κλείταρχος ἐν τῇ περὶ Ἰνδικὴν φησι γίνεσθαι ὄφιν πηχῶν ἑκκαίδεκα. Γίνεσθαι δὲ καὶ ἄλλο τι γένος ὄφεων ὑμνεῖ, οὐ κατὰ τοὺς ἑτέρους τὸ εἶδος· βραχυτέρους μὲν γὰρ εἶναι τῷ μεγέθει πολλῷ, ποικίλους γε μὴν τὴν χρόαν ὁρᾶσθαι, ὥσπερ οὖν φαρμάκοις καταγραφέντας· τοὺς μὲν γὰρ χαλκοειδεῖς ταινίας ἔχειν ἀπὸ κεφαλῆς ἐς τὴν οὐρὰν καθερπούσας, τοὺς δὲ ἀργύρῳ προσεικασμένας, πεφοινιγμένας ἄλλους, καὶ μέντοι καὶ χρυσοφαεῖς τινας. δακεῖν δὲ ἄρα καὶ ἀποκτεῖναι ὤκιστα δεινοὺς αὐτοὺς λέγει οὗτος.

Quae quamquam ita sunt, Vogelius tamen totam narrationem ex Aristobuli libro sumptam esse vult,[1] quippe qui »descriptioni herbarum beluarumque praeter ceteros operam dederit.« Ac rectissime quidem de Strabonis loco iam supra tractato[2] (p. 510) monet, ubi

¹) l. l. p. 22.
²) p. 5.

Eratosthenes ex Aristobuli sententia dicit classem Alexandri pinis Indicis aedificatam esse. Verum tamen tantum abest, ut hoc quoque loco (p. 698) Aristobulum Strabonis auctorem esse colligere liceat, ut, cum paulo ante ostenderimus, totam hanc descriptionem ad Clitarchum solum redire, illa similitudine, quae inter hunc locum intercedit et illum, novum nostrae sententiae argumentum accrescat Clitarchum opus Aristobuli versavisse, praesertim cum Diodorus, qui de illa silva idem memoriae prodidit ac Strabo, sine dubio Clitarchum auctorem adhibeat.[1]

Alia causa, cur Vogelius Strabonem hic Aristobuli vestigia pressisse censeat, est, quod Strabo (p. 691 et p. 698) et Arrianus[2] classem in Hydaspe factam memorant, Diodorus,[3] Curtius,[4] Iustinus[5] tradunt in Acesine aedificatam esse. Atque horum quidem scriptorum Clitarchum esse auctorem constat, Arrianus autem aut Ptolemaeo aut Aristobulo sua debet. Restat Strabo solus. Quaeritur, qua ratione discrepantia illa ad classem in Hydaspe aedificatam pertinens enucleanda sit. Fraenkelius Strabonem Clitarcho ipso usum esse existimat, ceteros auctores eundem omnino non inspexisse, sed notitiam Clitarchi nisi e libro alius scriptoris non habuisse, qui iam Clitarchum auctorem usurpasset. Cui sententiae

¹) cf. Diod. XVII 75. πολὺ γὰρ τοῖς καρποῖς ἡ χώρα τούτων ὑπεράγει τῶν παρὰ τοῖς ἄλλοις. τῶν μὲν γὰρ ἀμπέλων. . . . .
²) Exped. V 29,5 et VI 1,1.
³) XVII 95.
⁴) IX 3, 20.
⁵) XII 9,1.

assentiri nequeo. Nam ex hoc quidem Strabonis loco id effici non posse putaverim, sed geographum ipsum locum mutasse opinor, cum pro Acesine, quod flumen Clitarchum memoriae prodidisse constat, nomen Hydaspis scriberet. Neque enim fieri poterat, ut Strabo, quippe qui p. 691 § 17 iam ex Aristobuli auctoritate classem in Hydaspe aedificatam narraverit, hoc loco memoraret illud in Acesine factum esse. Itaque geographus, ne vehementer secum pugnaret, Clitarchum corrigeret necesse erat. In universum autem tota quaestio a Fraenkelio de Clitarcho instituta veri dissimillima esse mihi videtur.[1]

Sed haec alia quaestio est; nos ad propositum revertamur.

Itaque quae Strabo p. 699 etiam de morte Bucephali equi et de nomine eius affert, neque ad Onesicritum neque Aristobulum redeunt. Nam ille diserte narrat equum aetate confectum mortuum esse,[2] hic Onesicritum exscripsit.[3] Strabo vero itemque Dio-

---

[1]) Vir doctus l. l. p. 16 sqq. exponere contendit Diodorum, Curtium, Iustinum opus quoddam Clitarchi interpolatum adhibuisse, cuius tamen editiones variam praebuissent speciem. Hanc Fraenkelii sententiam artificiosiorem quam veriorem esse in aperto est. Equidem putaverim discrepantiam, quae inter illos scriptores exstat, bene enucleari posse e ratione, qua unusquisque in fontibus suis adhibendis usus sit. Accedit quod eis praeter Clitarchum sine dubio aliorum auctorum scripta ad manus fuisse probabile est. Sed haec quaestio maior est, quam quae hoc loco diiudicari possit. Velim igitur de hac re conferas, quae Schwartzius exposuit apud Pauly-Wissowa s. v. Curtius col. 1876.

[2]) Plut. Alex. 61.

[3]) Arrian. Exped. V 19, 4—5; V 14, 4.

dorus, Curtius, Iustinus inter se consentientes equum vulneribus in pugna acceptis mortuum esse memoriae tradiderunt. Quae res ex hac tabula perspicue apparebit:

Diod. XVII 95.	Iust. XII 8.	Strab. p. 698.	Curt. VIII 14, 34.
τὰς μὲν παρὰ τὸν ποταμὸν κτισθείσας πόλεις ὠνόμασε τὴν μὲν διὰ τὸ τῷ πολέμῳ κρατῆσαι Νίκαιαν, τὴν δ' ἀπὸ τοῦ τελευτήσαντος ἵππου κατὰ τὴν πρὸς Πῶρον μάχην Βουκεφάλαν. . .	(4) . . sed prima congressione vulnerato equo, quum praeceps in terram decidisset . . (8) Duas ibi urbes condidit. unam Nicaeam alteram ex nomine equi Bucephalen vocavit . . .	. ὧν τὴν μὲν Βουκεφαλίαν ὠνόμασεν ἀπὸ τοῦ πεσόντος ἵππου κατὰ τὴν μάχην τὴν πρὸς τὸν Πῶρον . . .	. . . . . sed equus eius multis vulneribus confossus deficiensque procubuit. IX 3, 23. . . . . oppida quoque duo condidit, quorum alterum Nicaeam appellavit, alterum Bucephalam, equi, quem amiserat, memoriae ac nomini dedicans urbem . . .

Clitarchum communem fontem esse facile intellegitur; qui unde sua deprompserit, nostrum non est quaerere; fortasse autem Clitarchi auctor Chares fuit, qui de equo narravit[1] quemque a Clitarcho adhibitum esse admodum probabile est.[2]

---

[1]) Fragm. 14, p. 117, ap. Muell. Script. rer. Alex. Magn.

[2]) cf. Fraenkel. l. l. p. 165 sqq.

Ac postremo quidem loco si quis dubitat Strabonem totam descriptionem ex uno fonte petivisse, Diodorum[1] in comparationem vocemus. Etenim apud hunc quoque scriptorem silvam illam aeque atque apud Strabonem, ante ipsam de simiis narrationem iam laudatam invenimus. Cum igitur Diodorus hoc loco certe ad Clitarchum redeat, hoc cum Strabone consensu perlucidum est totam paragraphum 29 ex opere Clitarchi sumptam esse.

Nec satis: Clitarchum etiam a Strabone fontem de India primarium exscriptum esse, nunc iam exponere contendamus.

Ex eodem enim scriptore ea quae p. 698 § 28 de regione inter Indum et Hydaspen sita perhibentur, fluxisse iudicanda sunt, quamquam media in narratione Onesicritus auctor laudatur. Atque primum quidem id dici potest narrationem § 29, quam cognovimus esse Clitarcheam, cum illa in § 28 arte conexam esse; in utraque enim paragrapho de Emodis montibus agitur. Cui sententiae satis certa e Curtii libro accedit commendatio, qui Clitarchum secutus[2] pariter ac Strabo hoc loco (§ 28 extr.) de multis serpentibus in montibus (sc. Emodis) inventis disserit.[3] Itaque cum Strabo ad Onesicriti de serpentibus immanibus narrationem spectans dicat: περὶ δ' οὖν τῶν δρακόντων

---

[1]) XVII 89/90.

[2]) Vid. supra p. 11.

[3]) IX 1, 4. multa materia navalis in proximis montibus erat: quam caedere aggressi magnitudinis inusitatae repperere serpentes. (7) Abisares, qui . . legatos ad Alexandrum miserat . . . = Strab. p. 698 . . ἐν τοῖς ὄρεσιν ἡ τοῦ Ἀβισάρου χώρα, παρ ᾧ δύο δράκοντας ἀπήγγελλον οἱ παρ' αὐτοῦ πρέσβεις τρέφεσθαι . . . .

καὶ ἄλλοι λέγουσιν, ad nullum alium scriptorem nisi ad Clitarchum respicit; talibus enim verbis qualia sunt ἄλλοι λέγουσιν ex constanti veterum sermone persaepe non plures auctores sed unum indicari apud omnes constat.[1] Clitarchum autem de serpentibus Indicis dixisse ex fragmentis satis apparet.[2]

Sed accedit alterum argumentum multo gravioris momenti. Totam enim descriptionem p. 698 § 28, critica quidem de Onesicrito, quae Strabonis est, parte excepta, ex uno auctore derivatam esse, i. e. verba quoque haec: φασὶ δ' εἶναί τινες τὴν χώραν ταύτην Αἰγύπτου μείζονα iam in Strabonis fonte fuisse, facile intelleges, si Strabonis locum cum Plutarcho[3] comparaveris. Vogelius[4] quidem et Fraenkelius[5] haud recte existimant communem auctorem esse Onesicritum. Hanc autem ad quaestionem solvendam ceteros rerum Alexandri Magni scriptores adeamus oportet; quos qui cum Strabone comparaverit, facili opera perspiciet, quem auctorem hic secutus sit.

Evolventes igitur Curtium[6] et Diodorum[7] hos scriptores cum Strabone et Plutarcho paucis rebus ex-

---

[1]) Exempla etiam ex Strabone afferre liceat. p. 694 § 21 extr. οἱ φήσαντες: p. 688 § 3 ἐκεῖνοι; quamquam Strabo hoc loco neminem alium nisi Onesicritum, illo Nearchum significat. De his locis conferas, quae Vogelius l. l. p. 5 et p. 11 exposuit. Adiungas etiam id quod Behrius l. l. p. 8 et p. 13 de Strabonis usu dicendi -- τοὺς νῦν — ἔνιοι φασίν — disputavit.

[2]) cf. fragm. 15 ap. Muell. l. l. p. 80.

[3]) Alex. cap. 59.

[4]) l. l. p. 21.

[5]) l. l. p. 140 sqq.

[6]) VIII 12,4 sqq.

[7]) XVII 86.

ceptis congruere inveniemus. Capita certe narrationis apud hos omnes auctores plane eadem sunt. Quae cum ita sint, Fraenkelius mihi non persuasit Strabonem et Plutarchum ex Onesicrito, Curtium autem et Diodorum ex Clitarcho sua sumpsisse; immo in tanto consensu omnes ad unum Clitarchum redire putaverim, unde sequitur, ut Onesicriti et narratio et nomen hoc quidem loco ad Strabonem per illum scriptorem pervenerit.[1]

Sed paululum subsistamus; obstat enim Ed. Schwartzii[2] gravis auctoritas affirmantis Plutarchum non opus Clitarchi ipsius, sed antiquiores auctores legisse. Sed quamvis non ignorem plurimos viros doctissimos hanc Schwartzii sententiam secutos esse, tamen paulum de ea dubitaverim. Plutarchus enim cum ceteris scriptoribus haud raro ita consentit, ut omnes ex communi fonte sua sumpsisse negari non possit.[3] Praeterea iam per se veri simile est eum praeclarum opus Clitarchi ipsum cognovisse.[4]

[1]) Fraenkelius quidem l. l. p. 395 adn. 1 perperam censet Clitarchum scripta aliorum auctorum nominatim omnino non laudavisse veri simile esse. Satis habeo hoc loco Plin. H. N. VII. 2, 29 in medium protulisse, qui scribit haec: »Mandorum nomen his dedit Clitarchus et Megasthenes«. Cum ea, quae apud Plin. l. l. subsequuntur — »feminas septimo aetatis anno parere, senectam quadragesimo accidere« — Megasthenis esse Arrianus (Ind. IX 1) auctor sit, sequitur, ut Clitarchus Megasthene usus sit et hic per illum apud Plinium laudetur.

[2]) Apud Pauly-Wissowa s. v. Curtius col. 1876.

[3]) Fraenkelius l. l. p. 72, 80, aliis locis de hac re uberius disputavit.

[4]) Plutarchus in Alex. semel citat Clitarchum Cap. 46 idque hoc loco Eratosthene auctore fieri verisimile est. cf. Reuss. l. l. p. 570 et A. Schoene: Analecta philologica hist. p. 55, cui

Ac ne confidentius dixisse videar, hos auctores laudatos in conspectum vocare liceat:

Curt. IX 10	Plut. Alex. cap. 66/67	Diod. XVII 105/106
(6). . in Oritas transit . . . (8) Hinc pervenit ad maritimos Indos. Desertam vastamque regionem late tenent . . (10) piscibus sole duratis et maiorum quoque beluarum, quas fluctus eiecit, carne vescuntur. Consumptis igitur alimentis Macedones primo inopiam, deinde ad ultimum famem sentire coeperunt . . . (12) Sed quum haec quoque alimenta defecerant, iumenta caedere aggressi ne equis quidem abstinebant . . (13) Famem deinde pestilentia secuta est: quippe insalubrium ciborum novi suci, .	. . . αὐτὸς δὲ πεζῇ δι' Ὠρειτῶν πορευόμενος εἰς ἐσχάτην ἀπορίαν προήχθη . . . Ἀλλὰ καὶ νόσοι χαλεπαὶ καὶ δίαιται πονηραὶ καὶ καύματα ξηρὰ καὶ πλείστους ὁ λιμὸς διέφθειρεν, ἄσπορον χώραν ἐπιόντας ἀνθρώπων κακοβίων, ὀλίγα καὶ ἀγεννῆ πρόβατα κεκτημένων, ἃ τοὺς θαλαττίους ἰχθῦς εἰθισμένα προσφέρεσθαι σάρκα μοχθηρὰν εἶχε καὶ δυσώδη. Μόλις οὖν ἐν ἡμέραις ἑξήκοντα ταύτην διελθὼν καὶ τῆς Γεδρωσίας ἁψάμενος εὐθὺς ἐν ἀφθόνοις ἦν πᾶσι, τῶν ἔγγιστα σατραπῶν καὶ βασιλέων παρασκευασάντων. (67) Ἀνα-	. . . ὁ δ' Ἀλέξανδρος διελθὼν τοῦτο τὸ ἔθνος ἐπιπόνως διὰ σπάνιν τροφῆς ἐνέβαλεν εἰς χώραν ἔρημον καὶ πάντων τῶν εἰς τὸ ζῆν χρησίμων σπανίζουσαν. πολλῶν δὲ διὰ τὴν ἔνδειαν διαφθειρομένων ἥ τε δύναμις τῶν Μακεδόνων ἠθύμησε καὶ ὁ Ἀλέξανδρος ἐνέπεσεν οὐκ εἰς τὴν τυχοῦσαν λύπην τε καὶ φροντίδα . . . διόπερ εὐζώνους ἄνδρας ἐξέπεμψεν εἰς τὴν Παρθυαίαν . . προστάξας ταχέως ἀγαγεῖν ἐπὶ τὰς ἐμβολὰς τῆς Καρμανίας δρομάδας καμήλους . . γεμίσαντας σίτου καὶ τῶν ἄλλων ἐπιτηδείων. (10[illegible]) Μόγις δὲ περάσας τὴν ἔρημον, ἧκεν εἰς χώ-

Neumannus l. l. p. 30 adstipulatur. Quamquam autem multis locis Clitarchum auctorem Plutarchi esse enucleari potest, tamen ex veterum consuetudine uno illo loco auctoris sui mentionem facit.

Curt. IX 10	Plut. Alex. 66/67	Diod. XVII 105/106
vulgaverant morbos . . (17) Rex . . ad Phrataphernen Parthienorum satrapen misit, qui iuberet camelis cocta cibaria afferre . . (18) Itaque fame dumtaxat vindicatus exercitus tandem in Cedrosiae fines perducitur. Omnium rerum sola fertilis regio est, in qua stativa habuit, ut vexatos milites quiete firmaret. . (24) . . aemulatus Patris Liberi . . gloriam . . (27) Hoc modo per dies septem bacchabundum agmen incessit	λαβὼν οὖν ἐνταῦθα τὴν δύναμιν, ἐξώρμησε κώμῳ χρώμενος ἐφ' ἡμέρας ἑπτὰ διὰ τῆς Καρμανίας	ραν οἰκουμένην καὶ πάντων τῶν χρησίμων εὐποροῦσαν. ἐν ταύτῃ δὲ προσαναλαβὼν τὴν δύναμιν ἐφ' ἑπτὰ μὲν ἡμέρας προῄει κεκοσμημένῃ τῇ δυνάμει πανηγυρικῶς, καὶ Διονύσῳ κῶμον ἤγαγεν ἑορτάζων καὶ μέθῃ καὶ πότοις χρώμενος κατὰ τὴν ὁδοιπορίαν.

Ex hoc consensu satis certe colligere possumus et Curtium et Plutarchum et Diodorum ex uno eodemque fonte hausisse. Neque fortuito quidem accidisse manifestum est, quod apud hos tres scriptores series rerum eadem est.[1] Iam si quaerimus,

[1]) Arrian. Exped. VI 28, 1 et ipse de Alexandri agmine bacchabundo per Carmaniam incedente narrat idque, ut opinor, ex Clitarchi auctoritate (cf. Fraenkel. l. l. p. 41 et p. 80; Vogel. l. l. p. 16). De fontibus enim suis Arrianus exhibet haec: ταῦτα δὲ οὔτε Πτολεμαῖος ὁ Λάγου οὔτε Ἀριστόβουλος ὁ Ἀριστοβούλου ἀνέγραψαν οὐδέ τις ἄλλος, ὅντινα ἱκανὸν ἄν τις ποιήσαιτο τεκμηριῶσαι ὑπὲρ τῶν τοιῶνδε. Qui quidem ex Nearcho et Megasthene narrationem sumpsisse nequit, quoniam hos auctores Ind. XVII 6 ut „δοκίμω ἄνδρε" laudat. Neque de Charete et Onesicrito cogitari potest; quorum quidem libros Arrianus sine dubio ipse non evolvit, sed ex Aristobulo (cf. Vogel. l. l. p. 7 et p. 30) notos habuerit.

quisnam illorum communis auctor fuerit, patet de Clitarcho tantum cogitari posse. Necnon haec sententia commendatur ex Plutarchi verbis his:[1] πρόβατα . . . . ἃ τοὺς θαλαττίους ἰχθῦς εἰθισμένα προσφέρεσθαι σάρκα μοχθηρὰν εἶχε καὶ δυσώδη. Haec autem Nearchi verba esse Arrianus auctor est.[2] Plutarcho vero librum Nearchi ante oculos fuisse non modo nulla re comprobatur, sed ne veri quidem simile est. Quae cum ita sint, ex hac re quoque colligere possumus Plutarchum illud Nearcheum a Clitarcho accepisse. Neque alia exempla desunt, quibus haec sententia comprobatur; conferas etiam ea, quae infra p. 42 adn. 1 de hac re exponemus.

Postquam igitur Plutarcho librum Clitarchi ipsi praesto fuisse indicavimus, ex consensu, qualem supra inter Strabonem et Plutarchum esse cognovimus, apparet descriptionem apud geographum p. 698 § 28 exstantem ex uno Clitarcho derivandam esse.

Nec satis: Clitarchea illa quoque existimanda sunt, quae p. 699/700 § 30—31 leguntur. Atque primum quidem geographus hic exponit esse qui Cathaeorum

[1]) Quod Curtius ovium mentionem non facit, omnino non offendit. Idem enim copiose de inopia et egestate illorum Indorum disserit; Plutarchus autem, ut saepius, breviter tantum refert sic: ἀνθρώπων κακοβίων ὀλίγα . . . κεκτημένων . . .

[2]) Ind. XXVI 7 (cf. ibid. XXIX 13): ct. Strab. p. 720, § 2.

et Sopithis terras inter Hydaspen et Acesinen collocent, cum ceteri eas ultra Acesinen sitas esse credant. Clitarchum varios auctores in opere suo componendo usurpasse quoniam satis constat, haec quidem narrandi ratio certe ei conveniret.

Quibus de terra generatim expositis ad singulos mores institutaque incolarum Strabo transit. Apud Diodorum[1] autem et Curtium[2] ordo rerum plane idem est. Unde consentaneum fit omnes ex eodem fonte hausisse. Iniuria autem Vogelius[3] et Fraenkelius[4] Onesicritum ipsum in hac parte nominatim laudatum a Strabone adhibitum esse contendunt. Contra et narrationem et Onesicriti nomen Clitarcho equidem vindicaverim. Atque haec sententia comparatione inter Strabonem, Diodorum, Curtium instituenda confirmatur. Nam ex consensu, qualis ad verbum fere apud hos scriptores occurrit, satis perspicuum est nomen Onesicriti apud Clitarchum allatum fuisse, id quod iam in paragrapho 28 vidimus. Maxime enim mirum esset, si Strabo primum ex Onesicrito et tum, ut Vogelius censet, inde a verbis ἴδιον δὲ τῶν Καθαίων

[1]) XVII 91.
[2]) IX 1, 24—30.
[3]) l. l. p. 24.
[4]) Fraenkelius l. l. p. 144 sqq. Onesicrito omnia inde a: „ἐν δὲ τῇ Καθαίᾳ" usque ad: „νόμον οὖν θέσθαι τοῦτον ὡς παυσομένης τῆς φαρμακείας" vindicat idque sine causa probabili. Neque enim ex eo, quod narratio e verbis φησιν Ὀνησίκριτος pendet, colligendum est Straboni hoc loco librum Onesicriti ipsum praesto fuisse [cf. Strab. p. 509 sqq, quibus locis Aristobulus et Polycletus (vid. supra p. 4 et infra p. 50) citantur. Utrumque auctorem Strabo illis locis ipse non inspexit, sed per Eratosthenem adhibuit]. Praeterea narratio inde a: ἴδιον δὲ τῶν Καθαίων καὶ τοῦτο ἱστορεῖται omnino non pendet ex Onesicrito citato.

. . . . ex Clitarcho sua deprompsisset, quippe qui illi omnia debeat. Porro cum ea, quae de sale Indico dicuntur, Clitarchi esse Strabo testetur,[1] facere non possumus, quin suspicemur illum in eis quoque, quae his enuntiatis antecedunt, auctorem esse. Atque etiam verba in extrema paragr. 30: οἱ δ' Ἰνδοὶ μεταλλείας καὶ χωνείας ἀπείρως ἔχοντες οὐδ' ὧν εὐποροῦσιν ἴσασιν . . . . , quae Strabo p. 706 Megasthenem secutus affert, spectant ad Clitarchum, quem illo usum esse iam supra diximus.[2]

Atque idem multo magis cadit in ea, quae in subsequenti § 31 (p. 700) legimus. Hanc enim totam narrationem Strabonem Clitarcho debere, quippe quae item ad verbum fere cum iis consentiat, quae Diodorus et Curtius tradunt, haec doceat comparatio:

Strab. p. 700 § 31	Curt. IX 1, 31 sqq.	Diod. XVII 92
Ἐν δὲ τῇ Σωπείθους καὶ τὰς τῶν κυνῶν ἀρετὰς διηγοῦνται θαυμαστάς· λαβεῖν γοῦν τὸν Ἀλέξανδρον παρὰ τοῦ Σωπείθους κύνας πεντήκοντα καὶ ἑκατόν· διαπείρας δὲ χάριν λέοντι προσαφέντας δύο, κρατουμένων αὐτῶν,	Nobiles ad venandum canes in ea regione sunt . . . Horum vim ut ostenderet Alexandro, in conseptu leonem eximiae magnitudinis iussit emitti et IV omnino admoveri canes, qui celeriter	. . . τῷ δ' Ἀλεξάνδρῳ . . . κύνας ἔδωκεν ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα, τοῖς μεγέθεσι καὶ ταῖς ἀλκαῖς καὶ τοῖς ἄλλοις προτερήμασι θαυμαζομένους. . . βουλόμενος δὲ τὸν Ἀλέξανδρον διὰ τῶν ἔργων λαβεῖν πεῖραν τῆς τῶν κυνῶν

[1]) p. 224 § 6.
[2]) p. 6.

Strab. p. 700 § 31	Curt. IX 1, 31 sqq.	Diod. XVII 92
δύο ἄλλους ἐπαφεῖναι· τότε δ' ἤδη καθεστώτων εἰς ἀντίπαλα τὸν μὲν Σωπείθη κελεῦσαι τῶν κυνῶν ἕνα ἀποσπᾶν τοῦ σκέλους τινὰ λαβόμενον, ἐὰν δὲ μὴ ὑπακούῃ ἀποτεμεῖν· τὸν Ἀλέξανδρον δὲ κατ' ἀρχὰς μὲν οὐ συγχωρεῖν ἀποτεμεῖν φειδόμενον τοῦ κυνός, εἰπόντος δ' ὅτι τέτταρας[1] ἀντιδώσω σοι, συγχωρῆσαι καὶ τὸν κύνα περιιδεῖν ἀποτμηθέντα τὸ σκέλος βραδείᾳ τομῇ πρὶν ἀνεῖναι τὸ δῆγμα.	feram occupaverunt. Tum ex his, qui assueverant talibus ministeriis, unus canis leoni cum aliis inhaerentis crus avellere et, quia non sequebatur, ferro amputare coepit: ne sic quidem pertinacia victa, rursus aliam partem secare institit et inde non segnius inhaerentem ferro subinde caedebat. Ille in vulnere ferae dentes moribundus quoque infixerat.	ἀρετῆς, εἰσήγαγεν εἴς τι περίφραγμα λέοντα τέλειον, καὶ τῶν δοθέντων κυνῶν δύο τοὺς εὐτελεστάτους προέβαλε τῷ λέοντι· τούτων δὲ κατισχυομένων ὑπὸ τοῦ θηρίου, δύο ἑτέρους ἀφῆκε. τῶν δὲ τεττάρων περιγινομένων τοῦ λέοντος, πεμφθείς τις ὑπ' αὐτοῦ μετὰ μαχαίρας ἀφῄρει τὸ δεξιὸν σκέλος ἑνὸς τῶν κυνῶν. τοῦ δὲ βασιλέως ἀναβοήσαντος καὶ τῶν σωματοφυλάκων προσδραμόντων καὶ τῆς τοῦ Ἰνδοῦ χειρὸς ἐπιλαβομένων, ὁ μὲν Σωπείθης τρεῖς[1] ἀντὶ τούτου δώσειν ἐπηγγείλατο, ὁ δὲ κυνηγὸς ἐπιλαβόμενος τοῦ σκέλους, ἔτεμνεν ἡσυχῇ κατ' ὀλίγον. ὁ δὲ κύων οὔτε κλαγγὴν οὔτε μυγμὸν προέμενος, ἀλλὰ τοὺς ὀδόντας ἐμπεπρικὼς, ἔμενεν ἕως ὅτου γενόμενος ἔξαιμος ἐναπέθανε τῷ θηρίῳ.

[1]) Notandum est quomodo Strabo et Diodorus fontem suum adhibuerint. Uterque enim auctor idem significat, Diodorus accuratius scribit; Strabo necatum canem tribus illis adnumerat.

Cum igitur in hac paragrapho 31 Clitarchus certe auctor Strabonis sit, narrationem autem de Sopithis canibus (aeque atque apud Diodorum et Curtium) ex eodem fonte, cui antecedentia debentur, derivatam esse facile intellegatur, sequitur, ut Strabo et ipse totam illam descriptionem, quae in paragraphis 30—31 exstat, Clitarcho debeat.

In paragr. insequentibus geographus alios auctores sequitur, ita ut p. 718 § 69 demum vestigia Clitarchi appareant. Nunc vero ad gravissimam et ad maximam huius quaestionis partem aggredimur, de qua, qui iudicaverunt, haud satis recte disseruisse putaverim.

Primum igitur in paragr. 69 pauca quaedam legimus de deorum apud Indos cultu, de vita regis aliisque rebus. Ac Strabo quidem initio paragraphi dicens: λέγεται δὲ καὶ ταῦτα παρὰ τῶν συγγραφέων et paulo infra: ὁ δὲ Κλείταρχός φησιν —— duobus auctoribus usus esse videtur, id quod Vogelius quoque existimat. Sed res fortasse longe aliter se habet. Mea enim quidem sententia Clitarchus hoc loco unus Strabonis auctor varias variorum scriptorum relationes geographo commodavit.[1]

[1]) Strabonis enim verba: ὁ δὲ Κλείταρχός φησιν non indicant scriptorem ad alium auctorem transire. De hac re conferas, quae Zimmermannus in Hermae vol. XXIII. p. 103 sqq. exposuit. Idem nonnullis exemplis demonstravit, tales elocutiones, quales: ὡς Ἐρατοσθένης φησί, Ἐρατοσθένης δέ φησι apud Strabonem persaepe non solum ad proxima verba, quae antecedunt, sed ad totam partem pertinere. (cf. Strab. p. 690 § 13, ubi iam omnia antecedentia Eratostheni debentur. vid. supra p. 10 adn. 2.) Similia enim atque hoc loco Strabo p. 29 § 21 memorat (cf. Zimmermann. l. l. p. 125), ubi primum τινες laudat

Strab. p. 700 § 31	Curt. IX 1, 31 sqq.	Diod. XVII 92
δύο ἄλλους ἐπαφεῖναι· τότε δ' ἤδη καθεστώτων εἰς ἀντίπαλα τὸν μὲν Σωπείθη κελεῦσαι τῶν κυνῶν ἕνα ἀποσπᾶν τοῦ σκέλους τινὰ λαβόμενον, ἐὰν δὲ μὴ ὑπακούῃ ἀποτεμεῖν· τὸν Ἀλέξανδρον δὲ κατ' ἀρχὰς μὲν οὐ συγχωρεῖν ἀποτεμεῖν φειδόμενον τοῖ κυνός, εἰπόντος δ' ὅτι τέτταρας[1] ἀντιδώσω σοι, συγχωρῆσαι καὶ τὸν κύνα περιιδεῖν ἀποτμηθέντα τὸ σκέλος βραδείᾳ τομῇ πρὶν ἀνεῖναι τό δῆγμα.	feram occupaverunt. Tum ex his, qui assueverant talibus ministeriis, unus canis leoni cum aliis inhaerentis crus avellere et, quia non sequebatur, ferro amputare coepit: ne sic quidem pertinacia victa, rursus aliam partem secare instituit et inde non segnius inhaerentem ferro subinde caedebat. Ille in vulnere ferae dentes moribundus quoque infixerat.	ἀρετῆς, εἰσήγαγεν εἴς τι περίφραγμα λέοντα τέλειον, καὶ τῶν δοθέντων κυνῶν δύο τοὺς εὐτελεστάτους προέβαλε τῷ λέοντι· τούτων δὲ κατισχυομένων ὑπὸ τοῦ θηρίου, δύο ἑτέρους ἀφῆκε. τῶν δὲ τεττάρων περιγινομένων τοῦ λέοντος, πεμφθείς τις ὑπ' αὐτοῦ μετὰ μαχαίρας ἀφῄρει τὸ δεξιὸν σκέλος ἑνὸς τῶν κυνῶν. τοῦ δὲ βασιλέως ἀναβοήσαντος καὶ τῶν σωματοφυλάκων προσδραμόντων καὶ τῆς τοῦ Ἰνδοῦ χειρὸς ἐπιλαβομένων, ὁ μὲν Σωπείθης τρεῖς[1] ἀντὶ τούτου δώσειν ἐπηγγείλατο, ὁ δὲ κυνηγὸς ἐπιλαβόμενος τοῦ σκέλους, ἔτεμνεν ἡσυχῇ κατ' ὀλίγον. ὁ δὲ κύων οὔτε κλαγγὴν οὔτε μυγμὸν προέμενος, ἀλλὰ τοὺς ὀδόντας ἐμπεπρικώς, ἔμενεν ἕως ὅτου γενόμενος ἔξαιμος ἐναπέθανε τῷ θηρίῳ.

[1]) Notandum est quomodo Strabo et Diodorus fontem suum adhibuerint. Uterque enim auctor idem significat, Diodorus accuratius scribit; Strabo necatum canem tribus illis adnumerat.

Cum igitur in hac paragrapho 31 Clitarchus certe auctor Strabonis sit, narrationem autem de Sopithis canibus (aeque atque apud Diodorum et Curtium) ex eodem fonte, cui antecedentia debentur, derivatam esse facile intellegatur, sequitur, ut Strabo et ipse totam illam descriptionem, quae in paragraphis 30—31 exstat, Clitarcho debeat.

In paragr. insequentibus geographus alios auctores sequitur, ita ut p. 718 § 69 demum vestigia Clitarchi appareant. Nunc vero ad gravissimam et ad maximam huius quaestionis partem aggredimur, de qua, qui iudicaverunt, haud satis recte disseruisse putaverim.

Primum igitur in paragr. 69 pauca quaedam legimus de deorum apud Indos cultu, de vita regis aliisque rebus. Ac Strabo quidem initio paragraphi dicens: λέγεται δὲ καὶ ταῦτα παρὰ τῶν συγγραφέων et paulo infra: ὁ δὲ Κλείταρχός φησιν — duobus auctoribus usus esse videtur, id quod Vogelius quoque existimat. Sed res fortasse longe aliter se habet. Mea enim quidem sententia Clitarchus hoc loco unus Strabonis auctor varias variorum scriptorum relationes geographo commodavit.[1]

[1]) Strabonis enim verba: ὁ δὲ Κλείταρχός φησιν non indicant scriptorem ad alium auctorem transire. De hac re conferas, quae Zimmermannus in Hermae vol. XXIII. p. 103 sqq. exposuit. Idem nonnullis exemplis demonstravit, tales elocutiones, quales: ὡς Ἐρατοσθένης φησί, Ἐρατοσθένης δέ φησι apud Strabonem persaepe non solum ad proxima verba, quae antecedunt, sed ad totam partem pertinere. (cf. Strab. p. 690 § 13, ubi iam omnia antecedentia Eratostheni debentur. vid. supra p. 10 adn. 2.) Similia enim atque hoc loco Strabo p. 29 § 21 memorat (cf. Zimmermann. l. l. p. 125), ubi primum τινες laudat

Atque ut singula persequamur, id primum perlucidum est comites Alexandri Magni de eis, quae Strabo de deorum atque maxime de Gangis fluvii cultu affert, nihil narrare potuisse, quoniam Alexander usque ad Gangem omnino non pervenit. Itaque Megasthenes unus in medium proferri potest, cui Vogelius[1] quoque Lassenium[2] secutus illam narrationem vindicari vult. Reliqua vero non quadrant in hunc auctorem. Nam cum Strabo p. 710 § 55 Megasthenem de regis vita iam copiose exscripserit, vix credibile est eum iterum pauca quaedam ex hoc auctore supplevisse. Sequentia autem, quorum Clitarchus nominatim testis citatur, ex eodem auctore atque antecedentia fluxisse facile cognoscitur. Qua de causa Strabonem ea quoque, quae cognovimus esse Megasthenica, Clitarcho debere statuemus. Similia enim ea sunt, quae a Curtio[3] memoriae tradita sunt. Is habet haec: »Regia adeuntibus patet, quum capillum pectit atque ornat. . . . .« Atque haec quidem verba et reliqua Curtii descriptio de pompa solemni satis accurate respondent verbis Strabonis (p. 718 § 69) his: ὅταν δὲ βασιλεὺς λούῃ τὴν τρίχα, μεγάλην ἑορτὴν ἄγουσι . . Megasthenem autem Curtio ad

---

et tum pergit: φησὶ δὲ Ποσειδώνιος, quo loco Strabo non primum aliorum scripta, tum Posidonii inspexit, sed ex hoc auctore illorum notitiam accepit. Conferas etiam, quae supra p. 17 de paragr. 28: φασὶ δ' εἶναί τινες . . . exposuimus.

Quod vero Clitarchus in extrema demum paragr. laudatur, nihil habet offensionis, cum veterum scriptorum haec sit consuetudo.

1) l. l. p. 30.

2) Ind. Altertumskunde II p. 698.

3) VIII 9, 27.

manum fuisse cum nulla re comprobetur, totam hanc narrationem, in qua illud Megasthenis exstat, Clitarchi esse iam per se verisimile est,[1] Straboni autem relationem Megasthenicam ex Clitarcho innotuisse praeterea narratione notissima de formicis Indicis deque fluminibus aurum vehentibus confirmatur.[2] Cum enim apud Strabonem in eis et quae antecedunt et quae sequuntur de magnis divitiis agatur, relatione illa de formicis aurum effodientibus et de fluviis auriferis interiecta nihil aliud nisi divitias terrae significari facile intellegitur. Clitarchum igitur haec omnia non tam disiuncte memoriae tradidisse, quam nunc apud Strabonem exstant, consentaneum est. Nam geographum hic auctorem non ad verbum exscripsisse, sed pauca quaedam eaque gravissima quaeque excerpsisse, iam per se manifestum est. Atque haec ita esse, ut diximus, Clitarchum re vera Megasthenem secutum esse Curtius[3] gravissimus auctor est, qui media quoque in narratione, quam Clitarcho deberi brevi demonstrabimus, haec verba praebet: — »Aurum flumina vehunt . . gemmas margaritasque mare litoribus infundit: neque alia illis maior opulentiae causa est.«

---

1) cf. etiam, quae p. 31 exponuntur.

2) cf. Strab. p. 702 § 37: χρυσωρύχων μυρμήκων. p. 711 § 57 extr. οἱ ποταμοὶ καταφέροιεν ψῆγμα χρυσοῦ . . Etiamsi Clitarchum sua Megastheni debere verisimillimum sit, tamen non negaverim Nearchum quoque fontem Clitarchi esse potuisse, cum hic plurima ex illo sumpserit (cf. infra p. 30). Cuius narrationis auctor Herodotus est. Legimus III 106: τοῦτο δὲ χρυσὸς ἄπλετος αὐτόθι ἐστί, ὁ μὲν ὀρυσσόμενος, ὁ δὲ καταφορεύμενος ὑπὸ ποταμῶν, ὁ δὲ ὥσπερ ἐσήμηνα ἁρπαζόμενος. Megasthenes autem et Nearchus opus Herodoti adhibuerunt. De illo conferas: Schwanbeck: »de Megasth. rer. Indic. script.« p. 71 sqq.; de hoc vid. quae infra p. 29 adn. 2 exposuimus.

3) VIII 9, 18. cf. Fraenkel, l. l. p. 445.

Quae cum ita sint, Clitarcho totam hanc paragraphum 69 vindicare non dubitaverim.

Eidem igitur auctori ea quoque narratio debetur quam p. 719 §§ 70—71 legimus. Vogelio enim assentiri nequeo, qui, cum hoc loco diversae variorum scriptorum relationes compositae sint, quae modo ex Nearcho, modo ex Onesicrito, modo e Megasthene depromptae esse videntur, id quidem rectissime dixit[1] illos auctores in § 70—71 a Strabone ipso non usurpatos esse, longius tamen a vero videtur discedere, cum haec scribit: »Neque quidquam obstat quominus comitem vel aequalem illius auctorem iudicemus, sed desperandum est accuratius eum posse significari.« Nam hic Strabonis auctor qui fuerit fortasse cognosci potest, dummodo ea, quae supra de Clitarchi opere exposuimus, in memoriam revocemus. Nam ut multa aliorum scripta compilasse eum scimus, ita et hoc loco Megasthene et Nearcho et Onesicrito usum esse hi docent loci. Legimus enim in initio § 70: τοὺς δὲ Βραχμᾶνας φυσιολογίαν καὶ ἀστρονομίαν ἀσκεῖν, quae quidem Onesicriti esse collata docet § 65: ἔφη δ' αὐτοὺς καὶ τῶν περὶ φύσιν πολλὰ ἐξετάσαι καὶ προσημασιῶν . .; porro memoria extremae paragraphi 71: εὐανθέστατα αὐτοὺς ἀμπέχεσθαι φορήματα . . . μιτροῦσθαι τὰς κόμας Megasthenis est §§ 54/58 his quidem collatis . . . σινδόνας τε φοροῦσιν εὐανθεῖς . . . (§ 54). Strabonem enim hoc loco non ipsum varias narrationes collegisse vel inde apparet, quod eadem apud Curtium inveniuntur,[2] a quo Megasthenem ipsum in-

[1]) l. l. p. 31.

[2]) VIII 9, 21 sqq.; cf. Strab. l. l. § 71: κάρπασος: Curt. l. l. § 21 carbasus.

spectum esse supra negavimus. Vogelius igitur exponere conatus narrationem illam et Onesicriti et Megasthenis Indos fucatis vestimentis uti repugnare cum eis, quae Strabo exhibeat, minime errat; sin autem Arrianum paulo accuratius legisset, facile intellexisset, unde Strabonis auctor discrepantem sententiam sumpsisset. Arrianus[1] enim haec habet: Ἐσθῆτι δὲ Ἰνδοὶ λινέῃ χρέονται, κατάπερ λέγει Νέαρχος . . τὸ δὲ λίνον τοῦτο ἢ λαμπρότερον τὴν χροιήν ἐστιν ἄλλου λίνου παντὸς ἢ μέλανες αὐτοὶ ἐόντες λαμπρότερον τὸ λίνον φαίνεσθαι ποιέουσιν. Quod igitur haec narratio, cuius Nearchum esse auctorem Arrianus testatur, apud Strabonem prima laudatur, ex eo fortasse conieceris Clitarchum eundem primarium fontem secutum esse ceterorumque memorias auctorum adiunxisse. Nec non Nearchum re vera uberrime a Clitarcho exscriptum esse,[2] ex hac comparatione inter Curtium, Arrianum, Strabonem instituenda elucet:

[1]) Ind. XVI 1.

[2]) Id etiam his locis collatis copiosius ostendi potest: cf. Plin. H. N. VII 2, 30 (de Oritis): »hi nullum alium cibum novere quam piscium, quos unguibus dissectos sole torreant atque ita panem ex his faciant, ut refert Clitarchus« = Curtius IX 10, 10 = Nearch. ap. Arrian. Ind. 29, 12. Ille sua ad verbum fere ex Herodoti opere (I 200) sumpsit. Herodotus fons primarius Nearchi omnino est: cf. Arrian. Ind. XVI = Curt. VIII 9, 21 = Herod. I 195: Ἐσθῆτι δὲ τοιῇδε χρέωνται, κιθῶνι ποδηνεκεῖ λινέῳ . . . . . adde etiam Strab. p. 705 (§ 44 init) = Arrian. Ind. XV 4 = Herod. III 102 sqq. (cf. Schwanbeck. l. l. p. 71/72). Strab. p. 693 § 20 . . . ἔριον . ἐκ τούτου δὲ Νέαρχός φησι τὰς εὐητρίους ὑφαίνεσθαι σινδόνας . . . = Nearch. ap. Arrian. XVI 1 = Herod. III 106: τὰ δὲ δένδρεα . . . φέρει εἴρια. cf. Nearch. ap. Arrian. Ind. XV 8 = Ctes. fragm. 57, 3 ap. Muell. l. l. p. 80: τοῦ ὀρνέου τοῦ βιττακοῦ, ὅτι γλῶσσαν ἀνθρωπίνην ἔχει καὶ φωνήν. Arrian. Ind. XVI 4 = Curt. VIII 9, 22 = Strab. p. 719 (§ 71) = Ctes. fragm. 57, 11 ap. Muell.

Arrian. Ind. XV 8	Curt. VIII 9, 16	Strab. p. 717 § 67
Σιττακοὺς δὲ Νέαρχος μὲν ὡς δή τι θῶμα ἀπηγέεται, ὅτι γίνονται ἐν τῇ Ἰνδῶν γῇ . . . καὶ ὅκως φωνὴν ἵει ἀνθρωπίνην.	Aves ad imitandum humanae vocis sonum dociles sunt.	Νέαρχος . . . . . λέγει (§ 66) . . . . .
Ind. XVI 2 sqq.	9, 21	
Ἔστι δὲ κιθὼν λίνεος αὐτοῖς ἔστε ἐπὶ μέσην τὴν κνήμην, εἷμα δὲ τὸ μὲν περὶ τοῖσιν ὤμοισι περιβεβλημένον, τὸ δὲ περὶ τῇσι κεφαλῇσιν εἱλιγμένον. (3) καὶ ἐνώτια Ἰνδοὶ φορέουσιν ἐλέφαντος, ὅσοι κάρτα εὐδαίμονες. οὐ γὰρ πάντες Ἰνδοὶ φορέουσι . . . (5) . . . . Ὑποδήματα δὲ λευκοῦ δέρματος φορέουσι . .	Corpora usque pedes carbaso velant, soleis pedes, capita linteis vinciunt: lapilli ex auribus pendent: brachia quoque et lacertos auro colunt, quibus inter populares aut nobilitas aut opes eminent.	
	9, 15	
	Libri arborum, teneri haud secus quam chartae, litterarum notas capiunt.	ἐπιστολὰς δὲ γράφειν ἐν σινδόσι λίαν κεκροτημέναις . . . .

Pedem igitur proferamus. Clitarchum esse auctorem Curtii narrationis negari non potest. Atque Diodorus, Plutarchus, Iustinus etiamsi nos deficiant, tamen Strabone et Curtio leviter tantum inter se comparatis facili opera perspicies utrumque scriptorem ex uno eodemque fonte, Clitarcho, sua derivavisse:

Strab. p. 718 § 69.	Curt. VIII 9, 25.
ὁ δὲ Κλείταρχός φησιν ἁμάξας τετρακύκλους, δένδρα κομιζούσας τῶν μεγαλοφύλλων, ἐξ ὧν ἀπήρτηται γένη τετιθασευμένων ὀρνέων, ὧν εὐφωνότατον μὲν εἴρηκε τὸν ὠρίωνα, λαμπρότατον δὲ κατὰ τὴν ὄψιν . . . κατρέα·	. . . . inter quos ramis aves pendent, quas cantu seriis rebus obstrepere docuerunt. . . . aviumque, quarum visu maxime gaudent . . . . .

Quibus cognitis statim apparet ea, quae geographus initio § 69 scribit, item etiam Clitarcho tribuenda esse:[1]

Curt. VIII 9, 27.	Strab. p. 718 § 69.
Regia adeuntibus patet, quum capillum pectit atque ornat . . . . (23) Quum rex semet in publico conspici patitur, turibula argentea ministri ferunt . . . (24) Aurea lectica . . . recubat . . . . lecticam sequuntur armati corporisque custodes . . . (29) Breviora itinera equo conficit: longior ubi expeditio est, elephanti vehunt currum, et tantarum beluarum corpora tota contegunt auro	ὅταν δὲ βασιλεὺς λούῃ τὴν τρίχα, μεγάλην ἑορτὴν ἄγουσι . . . ἐν δὲ ταῖς κατὰ τὰς ἑορτὰς πομπαῖς πολλοὶ μὲν ἐλέφαντες πέμπονται χρυσῷ κεκοσμημένοι καὶ ἀργύρῳ, πολλὰ δὲ τέθριππα καὶ βοϊκὰ ζεύγη· εἶθ' ἡ στρατιὰ κεκοσμημένη· καὶ χρυσώματα δὲ τῶν μεγάλων λεβήτων . . .

[1]) cf. supra p. 26 sqq.

Adiungas etiam haec:[1]

Curt. VIII 9, 21/22.	Strab. p. 719 § 71.
Corpora usque pedes carbaso velant . . . . . capita linteis vinciunt . . . Capillum pectunt saepius, quam tondent: mentum semper intonsum est	ὡς δ' εἰπεῖν, 'Ινδοὺς ἐσθῆτι λευκῇ χρῆσθαι καὶ σινδόσι λευκαῖς καὶ καρπάσοις . . . κομᾶν δὲ καὶ πωγωνοτροφεῖν πάντας, ἀναπλεκομένους δὲ μιτροῦσθαι τὰς κόμας.

Gravissimi autem momenti est, quod, cum Curtius et Strabo inter se consentientes id unum narrent Indos capillum barbamque promittere, Arrianus[2] ex Nearchi auctoritate multo uberius de hac re disputat; unde perspicitur, Clitarchum Nearchi narrationem in brevius contraxisse.

Atque ut illud extremum dicam, etiam ea quae de philosophis Indorum (p. 719) narrantur, Clitarcho adscribenda sunt. Primum enim Curtius aeque ac Strabo duo philosophorum genera laudat,[3] tum autem apud utrumque scriptorem hanc de philosophis Indicis

[1]) Kaerst in dissertatione, cui inscripsit; »Beiträge zur Quellenkritik des Qu. Curtius Rufus.« (Gotha 1878) ex similitudine, quae inter Curtium et Strabonem intercedit, conicit illum sua ex geographo hausisse. Rectissime autem Fraenkelius l. l. p. 446 hanc sententiam reprobat, ipse tamen paulo timidius iudicat his quidem verbis: »Bloss das eine können wir hieraus schliessen, dass der Verfasser der Curtianischen Quelle denselben Autor benutzt hat, der von Strabo hier ausgebeutet ist; leider sind wir aber durchaus nicht imstande, auch nur annähernd zu bestimmen, wer dieser Autor gewesen.«

[2]) Ind. XVI 4.

[3]) Strabo Clitarchum multo uberius exscripsit quam Curtius, qui eidem pauca tantum debet, quibus haec addit: § 37 »multa et alia traduntur, quibus morari ordinem rerum haud sane operae videbatur«.

relationem illam Clitarcheam de pompis sollemnibus Indorum descriptionem subsequi videmus. Conferas velim haec:

Curt. VIII 9, 31 sqq.	Strab. p. 719 § 70.
Unum agreste et horridum genus est, quod sapientes vocant. Apud hos occupare fati diem pulchrum, et vivos se cremari iubent, quibus aut segnis aetas aut incommoda valetudo est: expectatam mortem pro dedecore vitae habent . . . Illi, qui in urbibus publicis moribus degunt, siderum motus scite spectare dicuntur et futura praedicere.	Φιλοσόφους τε τοῖς Βραχμᾶσιν ἀντιδιαιροῦνται Πράμνας . . . . . τοὺς δὲ Βραχμᾶνας φυσιολογίαν καὶ ἀστρονομίαν ἀσκεῖν. p. 716 § 65 extr. αἴσχιστον δ' αὐτοῖς νομίζεσθαι νόσον σωματικήν· τὸν δ' ὑπονοήσαντα καθ' αὑτοῦ τοῦτο, ἐξάγειν ἑαυτὸν διὰ πυρὸς νήσαντα πυράν . . . . . Clit. fragm. 22ª ap. Muell. l. l. p. 83. τοὺς γοῦν γυμνοσοφιστὰς καὶ θανάτου καταφρονεῖν φησι Κλείταρχος . . . Strab. p. 716 § 65 ἔφη (sc. 'Ονησίκρ.) δ' αὐτοὺς καὶ τῶν περὶ φύσιν πολλὰ ἐξετάσαι καὶ προσημασιῶν, ὄμβρων αὐχμῶν νόσων . . . .

Patet igitur ex his etiam paragraphos 70/71 Clitarcho vindicandas esse.

Sed ne quid in hac de Clitarcho reliquisse videamur quaestione, reliquum est, ut breviter disputemus, geographusne hunc auctorem in sequentibus quoque partibus, quibus de Ariana et de Perside agitur, adhibuerit.

Atque in his quidem capitibus scriptorem nusquam illum fontem adhibuisse ego pro certo putaverim. Vogelium[1] enim fabulam illam a Strabone p. 723 § 7 de Ptolemaeo vulnerato et mirum in modum sanato narratam Clitarcho iure tribuisse negaverim, similemque in errorem incidisse Fraenkelius[2] mihi videtur, qui Nearchum auctorem esse dicit. Neque enim de ullo alio nisi de Aristobulo cogitandum est, quippe quem Strabo in antecedenti paragrapho exscripsisse videatur.[3] Narratio

[1]) l. l. p. 35.
[2]) l. l. p. 155/156.
[3]) Ut eruamus, quem fontem Strabo in Alexandri per Gedrosiae deserta expeditione describenda secutus sit, ab Arriano nobis proficiscendum est, qui Exped. VI 24—26 ad verbum fere cum narratione Straboniana convenit. Nec mihi qeidem Fraenkelius l. l. p. 334 persuasit, qui Arriani descriptionem Nearcho per vim accommodare contendit. Legimus enim apud Arrian. l. l. cap. 25, 4: Ὕεται γὰρ ἡ Γαδρωσίων γῆ ὑπ' ἀνέμων τῶν ἐτησίων, καθάπερ οὖν καὶ η Ἰνδῶν γῆ, οὐ τὰ πεδία τῶν Γαδρωσίων, ἀλλὰ τὰ ὄρη . . . . . Quae verba Nearchi sententiae (Strab. p. 692 § 18: ὕεσθαι τὰ πεδία θέρους) plane repugnant, at cum Aristobulo bene congruunt: Strab. p. 691 § 17: Ἀριστόβουλος δὲ μόνα καὶ ὕεσθαι . . . . . τὰ ὄρη καὶ τὰς ὑπωρείας φησί, τὰ πεδία δὲ καὶ ὄμβρων ὁμοίως ἀπηλλάχθαι καὶ νιφετῶν, ἐπικλύζεσθαι δὲ μόνον κατὰ τὰς ἀναβάσεις τῶν ποταμῶν . . . . ἔκ τε δὴ τῶν χιόνων καὶ τῶν ὑετῶν πληρουμένους [ποταμοὺς] ποτίζειν τὰ πεδία . . . Idem Strabo p. 721 § 3 disserit: πίπτειν δὲ τοὺς ὄμβρους ἐν τοῖς ἄνω μέρεσι τοῖς προσαρκτίοις καὶ ἐγγὺς τῶν ὀρῶν πληρουμένων δὲ τῶν ποταμῶν καὶ τὰ πεδία τὰ πλησιάζοντα τῇ θαλάττῃ ποτίζεσθαι καὶ ὑδρείων εὐπορεῖν. Cum igitur apud Arrianum illa verba allata media in narratione exstent, totam descriptionem ex Aristobuli libro petitam esse consentaneum est. Quodsi res ita se habet, Aristobulus quoque in expeditione Alex. describenda Strabonis auctor fuit. Ceterum velim conferas, quae Schwartzius apud Pauly-Wissowa s. v. Aristobulus col. 915 de hac re exposuit: »An dieser Anschauung (sc. Strab. p. 691 et p. 721) ist auch Arrian VI 25, 4 Aristobul mit Sicherheit zu erkennen«.

autem in utraque paragrapho ex eodem opere manavit. Itaque uno de Aristobulo Strabonis in paragr. 7 auctore agitur.

Ac singula iam visuri p. 723 § 7 de nonnullis venenatis arboribus herbisque sermonem fieri videmus, quibus usa iumenta essent confecta. Aristobulus autem apud Arrianum[1] similiter naturam Gedrosiae descripsit, quo de loco Vogelius[2] audiendus est, qui haec dicit: »cuius (sc. Aristobuli) descriptio talis est ut eum Straboni auctorem fuisse satis credibile sit. Quamquam enim non plane eadem apud utrumque leguntur, alter descriptionem alterius optime supplet neque ullus dissensus deprehenditur.« Rectissime quidem; Aristobulum enim descriptioni ipsi rerum geographicarum, plantarum, arborum beluarumque maxime operam dedisse inter omnes constat.

Deinde Strabo mentione serpentium illarum facta, quarum morsu plurimi mortui essent, ad fabulam de Ptolemaeo fictam transit. Diodorus,[3] Curtius,[4] Iustinus[5] inter se plane consentiunt, ita tamen, ut Strabo ex eodem atque illi auctores fonte haurire non potuerit. Nam primum de loco rei gestae prorsus ab eo dissentiunt, cum Strabo rem apud Oritas esse factam

[1]) Exped. VI 22, 4.
[2]) l. l. p. 35.
[3]) XVII. 103.
[4]) IX 8, 26.
[5]) XII 10, 3.

dicat, illi apud Indos accidisse commemorent. Porro apud Strabonem a viro, apud Curtium et Diodorum a dracone Alexandro remedium monstratur.[1] Quae cum ita sint, Vogelius quidem recte animadvertit Curtium, Diodorum, Iustinum e Clitarcho sua petivisse, in eo tamen errat, quod eundem quoque huius Strabonis loci auctorem esse existimat. Discrepantiam autem, quae inter Strabonem ceterosque scriptores intercedit, ut saepius ita explicare contendit, ut dicat Straboni opus Clitarchi ipsi non ad manum fuisse, sed tantummodo per alios scriptores innotuisse.

Iam si quaerimus, quisnam Strabonis auctor fuerit, de nullo alio nisi de Aristobulo cogitari posse putaverim. Totam enim narrationem de Ptolemaeo excogitatam antecedentibus verbis arte conexam esse eo perspicitur, quod sagitta, qua Ptolemaeus ictus est, viro serpentium, quarum Strabo paulo ante mentionem facit, imbuta est.[2]

Cum igitur supra demonstraverimus initium paragr. 7 Aristobulo deberi, sequitur, ut idem quoque illam de Ptolemaeo fabulam memoriae tradiderit, atque Clitarchus, qualem apud Diodorum, Curtium, Iustinum subesse cognoscimus, sua ex Aristobuli opere deprompserit.

Iam ut breviter, quae huc usque disputavi, complectar, id demonstravisse me putaverim Clitarchum fontem primarium Strabonis in Indicis describendis fuisse, ita

[1]) Iustinus non memorat, a quo Alexander remedium acceperit.

[2]) Diod. XVII 103. κατεσκεύαστο δὲ ἡ τοῦ φαρμάκου δύναμις ἔκ τινων ὄφεων θηρευομένων.

quidem, ut cum per alios scriptores, e. g. Eratosthenem, Posidonium Rhodium geographus illo auctore usus sit tum ipse scripta eius inspexerit. Paragraphos 28—31 et § 69—71 igitur Strabo ex Clitarchi opere hausit; in Arianis et Persicis exponendis alios auctores secutus est.

Cap. II.

De Polycleto.

In Indicis describendis Strabo narrationibus et Alexandri Magni comitum et Megasthenis et Clitarchi utitur. Qua de causa plerumque fieri potest, ut comparatione cum ceteris rerum Alexandri scriptoribus, qui eosdem auctores adhibuerunt, facta singulis locis inveniamus, cui Strabo sua debeat. Attamen multo maioribus difficultatibus implicabimur, si in fontes inquisiverimus, quos Strabo in Persia describenda adhibuerit. Ubi praeter auctores modo nuncupatos scriptorem quendam reperimus, quem Strabo saepius auctorem suum laudat, cui magnam descriptionis partem debere videtur, Polycletum dico. Cuius narrationes ad eos rerum Alexandri scriptores, qui etiamnunc exstant, uno Clitarcho, ut brevi demonstrabitur, intercedente videntur pervenisse. Quae cum ita sint, in hac de Polycleto quaestione instituenda unice paene ex Strabonis auctoritate pendemus.

De Polycleti vita atque aetate nihil nobis traditum est. Pauca tantum fragmenta supersunt,[1] quorum pleraque apud Strabonem exstant. Quamquam autem de scriptore illo nullo veterum testimonio quidquam satis constat, tamen, priusquam quaesiverimus, quantum geographus Polycleto debeat, de illa re pauca quaedam explorare in animo est. Quod ita effici posse confido, ut indagemus, quae ratio inter Polycletum ceterosque auctores intercedat.

Ac primum quidem inter Clitarchum et Polycletum rationem quandam esse demonstrari posse his locis collatis putaverim:[1]

---

[1]) Fragm. Polycleti collegit C. Muellerus: Script. rer. Alex. Magn. p. 129 sqq., qui octo tantum fragmenta illi vindicat, reliqua Polycrito Mendaeo (ibid. p. 132) adnumerat. Quod nescio an iniuria fecerit; me enim iudice ex Polycriti fragmentis etiam fragm. 3 Polycleto tribuendum est. cf. Kaibelium ad Athen. V 206 e et Susemihlium: Geschichte der griech. Literatur in der Alexandrinerzeit I p. 544sq. Argumentum enim huius frustuli: Πολύκλειτος δ' ἐπὶ τῷ λυχνίῳ τῷ κατασκευασθέντι τῷ Πέρσῃ optime Polycleto convenit, quippe quem mores institutaque regum Persarum descripsisse constet. cf. Strab. p. 735 § 21—22.

[1]) cf. Fraenkel. l. l. p. 438 sqq. et Reuss. l. l. p. 584 sqq.

Curt. VI 4, 18/19.	Diod. XVII 75.	Plut. Alex. cap. 44.	Strab. p. 509 § 4.	Plin. H. N. VI 15, 36
Mare Caspium dulcius ceteris ingentis magnitudinis serpentes alit: piscium in eo longe diversus ab aliis color est. Quidam Caspium, quidam Hyrcanium appellant: alii sunt, qui Maeotiam paludem in id cadere putent: et argumentum afferunt aquam, quod dulcior sit, quam cetera maria: infuso paludis humore mitescere. A septentrione ingens in litus	.... ὁ δ' Ἀλέξανδρος μετὰ τῆς δυνάμεως ἐμβαλὼν εἰς τὴν τῶν Ὑρκανῶν χώραν, πάσας τὰς ἐν αὐτῇ πόλεις ἐχειρώσατο μέχρι τῆς Κασπίας καλουμένης θαλάττης, ἣν Ὑρκανίαν τινὲς ὀνομάζουσιν. ἐν ταύτῃ δέ φασι πολλοὺς μὲν καὶ μεγάλους ὄφεις γεννᾶσθαι, ἰχθῦς δὲ παντοδαποὺς, πολὺ τῇ χροιᾷ τῶν παρ'	Αὐτὸς δὲ μετὰ τῆς ἀκμαιοτάτης δυνάμεως εἰς Ὑρκανίαν κατέβαινε. καὶ πελάγους ἰδὼν κόλπον οὐκ ἐλάττονα μὲν τοῦ Πόντου φανέντα γλυκύτερον δὲ τῆς ἄλλης θαλάττης . . μάλιστα δὲ εἴκασε τῆς Μαιώτιδος λίμνης ἀνακοπὴν εἶναι .... ἱστορήκασιν, (sc. οἱ φυσικοὶ ἄνδρες) ὅτι	. . . εἰς ἓν συνῆγον τήν τε Μαιῶτιν λίμνην τὴν δεχομένην τὸν Τάναϊν καὶ τὴν Κασπίαν θάλατταν, λίμνην καὶ ταύτην καλοῦντες καὶ συντετρῆσθαι φάσκοντες πρὸς ἀλλήλας ἀμφοτέρας, ἑκατέραν δὲ εἶναι μέρος τῆς ἑτέρας. Πολύκλειτος δὲ καὶ πίστεις προφέρεται περὶ τοῦ λίμνην εἶναι τὴν θάλατταν ταύτην, ὄφεις τε γὰρ ἐκτρέφειν καὶ ὑπόγλυκυ εἶναι τὸ ὕδωρ.	Nam et inrumpit e Scythico oceano in aversa Asiae pluribus nominibus accolarum appellatum, celeberrimis duobus Caspium et Hyrcanium. Non minus hoc esse

mare incumbit longeque agit fluctus et magna parte exaestuans stagnat. . . . . . . Et quidam credidere, non Caspium mare esse, sed ex India in Hyrcaniam cadere, cuius fastigium . . . . perpetua valle summittitur.	ἡμῖν διαλλάττοντας.	τεσσάρων κόλπων εἰσεχόντων ἀπὸ τῆς ἔξω θαλάσσης βορειότατος οὗτός ἐστι, τὸ Ὑρκάνιον πέλαγος καὶ Κάσπιον ὁμοῦ προσαγορευόμενον.	p. 491 § 5. . . οἱ δ' ἐπὶ τοσοῦτον συναγαγόντες τὸν ἰσθμὸν ἐφ' ὅσον Κλείταρχος, ἐπίκλυστον φήσας ἐξ ἑκατέρου τοῦ πελάγους, οὐδ' ἂν λόγου ἀξιοῖντο.	quam Pontum Euxinum **Clitarchus** putat.

Patet ex his[1] Clitarchum et Polycletum inter se arte cohaerere. Polycletum vero sua non ex illo scriptore sumpsisse, sed eiusdem auctorem fuisse hac ratione me probaturum esse speraverim. Eorum enim, quae Patrocles exploravisse se putabat,[2] nondum videtur habere notitiam, id quod ex falsa de mari Caspio cum Maeotide in unum confuso opinione apparet; Patrocles autem, ut Neumannus[3] ostendit, iter demum intra annos a. Chr. n. 285 et 282 fecisse potest; unde mea quidem sententia sequitur, ut Polycletus ante Patroclem scripserit.[4]

Clitarchus quidem ipse quoque sententiam illam falsam Polycleti de mari Caspio memoriae tradidit,[5] sed una iam sententiam Patroclis adhibuit affirmantis mare Caspium sinum Oceani esse,[6] cum opinionem non deposuerit

[1]) Curtium, Diodorum, Plutarchum ex eodem fonte sua petivisse, ut iam supra p. 19 sqq. exposuimus, cum aliis ex rebus apparet tum ex eo, quod iidem auctores de Bucephalo apud Mardos capto plane inter se consentiunt. Conferas quae Reussius l. l. p. 583 et Fraenkelius l. l. p. 309 de hac re disputaverunt.

[2]) Patroclem, qui iussu regis Seleuci Nicatoris litora maris Caspii classe adiit, mare Caspium cum Oceano cohaerere putavisse constat.

[3]) Herm. vol. XIX p. 182 et p. 185.

[4]) Susemihl. l. l. I p. 657₆₇ b de Polycleto quidem recte iudicat, errat tamen in eo, quod dicit Clitarchum quoque ante Patroclem scripsisse.

[5]) Strab. p. 491 § 5, cf. supra p. 41.

[6]) Apud. Plut. Alex. 44 eadem Patroclis sententia perhibetur: καίτοι τούς γε φυσικοὺς ἄνδρας οὐκ ἔλαθε τἀληθές, ἀλλὰ πολλοῖς ἔτεσιν ἔμπροσθεν τῆς Ἀλεξάνδρου στρατείας ἱστορήκασιν, ὅτι τεσσάρων κόλπων εἰσεχόντων ἀπὸ τῆς ἔξω θαλάσσης βορειότατος οὗτός ἐστι, τὸ Ὑρκάνιον πέλαγος καὶ Κάσπιον ὁμοῦ προςαγορευόμενον. Berger. Gesch. der wissenschaftlichen Erdkunde der Griechen 1903 p. 56 sqq. **φυσικους ἄνδρας**, quos Plut. laudat, geographos Ionios intellegendos esse censet. Vereor autem, ut recte ita statuat. Plut. perperam intellexit auctorem suum, Clitarchum, qui Patroclis sententiam praebet. Confirmatur nostra opinio

Tanaim et Iaxartem idem flumen esse: »Et quidam credidere non Caspium mare esse, sed ex India in Hyrcaniam cadere.«[1] Quae cum ita sint, Clitarchus haud ita multo ante annum a. Chr. n. 280, Polycletus autem non post annum a. Chr. n. 282 scribere potuit. Unde mea quidem sententia efficitur, ut Clitarchus e Polycleto sua sumpserit.

Iam ut terminum quendam inveniamus, ante quem Polycleti opus conditum esse non potest, primum id quaerendum est, unde hic auctor sua derivaverit.

Legimus apud. Plut. l. l. 46 Clitarchum, Polycletum, Onesicritum, alios fabulam de Amazonibus memoriae prodidisse, tum idem paulo infra pergit sic: Λέγεται δὲ πολλοῖς χρόνοις Ὀνησίκριτος ὕστερον ἤδη βασιλεύοντι Λυσιμάχῳ τῶν βιβλίων τὸ τέταρτον ἀναγιγνώσκειν, ἐν ᾧ γέγραπται περὶ τῆς Ἀμαζόνος . . . .

Quibus e verbis equidem arbitror concludendum esse Onesicritum, pessimae illum fidei scriptorem, fabulae auctorem fuisse et Polycletum et Clitarchum[2] sua illi debere.[3] Neque enim casui tribuerim, quod apud

comparatione inter Strabonem et Plutarchum instituta: Plut. l. l. καὶ πελάγους ἰδὼν κόλπον οὐκ ἐλάττονα μὲν τοῦ Πόντου φανέντα = Strab. p. 508 § 1 extr. ὥς φησι Πατροκλῆς, ἴς καὶ πάρισον ἡγεῖται τὸ πέλαγος τοῦτο τῷ Ποντικῷ. cf. Reuss. l. l. p. 583.

[1]) Curt. VI 4, 19. cf. Behr. l. l. p. 10 et Reuss. l. l. p. 588.

[2]) Diod. XVII 77; Curt. VI 5, 24 sqq.; Iustin. XII 3, 5—7; Strab. p. 504/505.

[3]) Iam C. Mueller. in praef. Polyclet. fragm. l. l. p. 129 illud animadvertit cum dicit: »Maioris momenti est, quod (sc. Polycletus) cum Onesicrito et Clitarcho manifestum narravit mendacium«.

Plinium[1] in elencho auctorum libr. XII et XIII Polycletus una cum Nearcho et Onesicrito nominatur.

Quodsi vere ita res se habet, Polycletus post Onesicriti demum opus conditum, post annum igitur 306[2] historiam conscripsisse potest. Sed eundem scriptorem iam Aristobuli libro usum esse veri videtur simile. Polycleti enim falsa illa de mari Caspio et Maeotide cohaerentibus opinio unice orta est e sententia Tanaim in mare Hyrcanum influere docente: Strab. p. 510 § 4: ὅτι δὲ καὶ οὐχ ἑτέρα τῆς Μαιώτιδός ἐστι, τεκμαιρόμενος (sc. Πολύκλειτος) ἐκ τοῦ τὸν Τάναϊν εἰς αὐτὴν ἐμβάλλειν· ἐκ γὰρ τῶν αὐτῶν ὀρῶν τῶν Ἰνδικῶν . . . . καὶ ὁ Ἰαξάρτης ἐκδίδωσί τε ὁμοίως ἐκείνοις (sc. Ocho, Oxo aliis) εἰς τὸ Κάσπιον πέλαγος πάντων ἀρκτικώτατος. τοῦτον οὖν ὠνόμασαν Τάναϊν . . . Nam cum notissimum esset Tanaim in Maeotin influere, sequebatur, ut Maeotis et mare Caspium unum idemque mare putaretur. Auctorem igitur narrationis Tanaim et Iaxartem idem flumen esse dicentis, quod in mare Caspium influat, Aristobulum esse Arrianus testatur.[3] Cum nemo Alexandri comitum, si Aristobulum missum facias, hanc rem memoriae

[1]) Quod Plin. l. l. Polycritum praebet, nihil offendit, cum Strabonis ipsius quoque p. 735 et Plutarchi Alex. 46 codices **Πολύκριτος** exhibeant.

[2]) cf. Fraenkel. l. l. p. 82.

[3]) Exped. III 30, 7: τῷ δὲ Τανάιδι τούτῳ, ὃν δὴ καὶ Ἰαξάρτην ἄλλῳ ὀνόματι πρὸς τῶν ἐπιχωρίων βαρβάρων καλεῖσθαι λέγει Ἀριστόβουλος αἱ πηγαὶ μὲν ἐκ τοῦ Καυκάσου ὄρους καὶ αὐτῷ εἰσιν· ἐξίησι δὲ καὶ οὗτος ὁ ποταμὸς ἐς τὴν Ὑρκανίαν θάλασσαν. Idem in Itinerario Alexandri Magni scriptum legimus ap. Muell. Script. rer. Alex. Magni p. 163 cap. 79. »Tanaimque exim qui subortus e Caucaso ingressurusque Hyrcanum mare Asiam Europamque dispertit«. Cum Itinerarium Aristobuli memoriam satis accurate tradat (cf. infra p. 57 adn. 1) in promptu est conicere Aristobulum quoque Tanaim - Iaxartem Asiam et Europam dividere dixisse.

tradiderit,[1] a probabilitate non abhorrere mihi videtur, Polycletum in hac re Aristobuli vestigia pressisse.

Sed accedit alterum argumentum haud minus grave. Narrat Strabo p. 728 § 4 Polycleto auctore in fluminibus Persidis καταράκτας ἐπίτηδες a Persis factas esse. Idem Aristobulus quoque narravit.[2] Quo ex consensu ratiocinari possumus Aristobulum auctorem fuisse Polycleti.

Ad postremum etiam habemus Aristobulum a Polycleto refutatum p. 742 § 13. Prodit enim ille Euphra-

[1]) Si Plin. H. N. VI 16, 49 dicit: . . »flumine Iaxarte quod Scythae Silim vocant, Alexander militesque eius Tanaim putavere esse«, equidem crediderim his verbis Aristobulum solum subesse. Quod Aristobulus in elencho auctorum non laudatur, nihil offendit, cum Plin. auctoribus, ut Iuba, ut Clitarcho usus sit, quos Aristobulum adhibuisse scimus. — Alio enim loco (VI 17, 59) habet haec: »Alexandri Magni comites . . . scripserunt. . . . Indiam tertiam partem esse terrarum omnium«, ubi unum Onesicritum significari ex comparatione cum Strabone instituenda apparet: p. 689 § 12: Κτησίου μὲν οὐκ ἐλάττω τῆς ἄλλης Ἀσίας τὴν Ἰνδικὴν λέγοντος, Ὀνησικρίτου δὲ τρίτον μέρος τῆς οἰκουμένης. Cum haec verba artissime cum ea narratione quam Plin. praebet, coniuncta sint, sequitur, ut tota narratio Pliniana sit Onesicriti. cf. Vogel. l. l. p. 5. — Idem Plin. l. l. VI 17, 51 sententiam Polycleti tradit rati aquam maris Caspii dulcem esse, cuius relationis Alexandrum laudat auctorem his verbis: »Haustum ipsius maris dulcem esse et Alexander Magnus prodidit«. Cum igitur Aristobulum praeter ceteros rerum geographicarum descriptioni operam dedisse constet et Hyrcaniam accurate descripserit, haud iniuria conicere licebit (cf. Aristob. fragm. 14 ap. Muell. l. l. p. 99) Aristobulo illud quoque deberi.

[2]) Strab. p. 740; Arrian. Exped. VII 7,7. cf. ibid. 21,3 sqq., ubi, quamquam Aristobulus non laudatur, tamen difficile non est intellectu, hunc auctorem apud utrumque scriptorem adhibitum esse. cf. Luedecke: de fontibus quibus usus Arrianus Anabasin composuit. Leipz. Stud. XI p. 57.

tem inundantem apud Arabiam lacus ac paludes efficere.[1] Accurata et copiosa Polycleti argumentatio, qua de causa Euphrates non inundet, contrariam illam Aristobuli sententiam sine dubio postulat, ac tum tantum intellegi potest, cum a Polycleto hunc auctorem refelli statuimus, cuius ipsius verba de Tigride magnam aquae vim ex Euphrate excipiente[2] etiam ad sententiam suam defendendam adhibet.

Quibus rebus expositis cum satis demonstratum videatur esse Polycletum opus Aristobuli et cognovisse et adhibuisse, nunc iam brevem quaestionem instituere liceat, quo tempore Aristobulus suum opus composuerit. Ac Neumannus[3] quidem eum post annum a. Chr. n. 285 scripsisse contendit, quia iam Patrocle usus sit: quod mihi non probatur. Legentibus enim nobis apud Strabonem p. 509 § 3: Ἀριστόβουλος δὲ καὶ μέγιστον ἀποφαίνει τὸν Ὦξον τῶν ἑωραμένων ὑφ᾽ ἑαυτοῦ κατὰ τὴν Ἀσίαν πλὴν τῶν Ἰνδικῶν· φησὶ δὲ καὶ εὔπλουν εἶναι καὶ οὗτος καὶ Ἐρατοσθένης παρὰ Πατροκλέους λαβών . . . , illud λαβών ad unum Eratosthenem referendum esse patet. Cum igitur veri simile sit Straboni Patroclis opus ipsum ad manum omnino non fuisse, sed tantummodo per Eratosthenem et Hipparchum innotuisse, commodissime suspicabimur Strabonem memorias et Aristobuli et Patroclis iam in Eratosthenis libro compositas invenisse,[4] qui

¹) Strab. p. 741 § 11; Arrian. Exped. VII 7 et 21. cf. supra p. 45 adn. 2.

²) Arrian. Exped. VII 7, 3.

³) Herm. XIX p. 185 cf. Susemihl. l. l. p. 658.

⁴) cf. Behr. l. l. p. 17.

fortasse illam narrationem de mercibus ex India per mare Caspium in Pontum transportatis e Patroclis libro sumpserit.

Neque Arrianus[1] ad hanc quaestionem solvendam quidquam valet. Qui cum scribat Alexandrum classem instituere in mente habuisse, ut exploraret, utrum mare Caspium conclusum esset an cum Oceano cohaereret, apertum est hanc demum dubitationem ortam esse Nearchi expeditione:[2] καθάπερ οὖν καὶ τὸν Περσικὸν ἐξεῦρε, τὴν Ἐρυθρὰν δὴ καλουμένην θάλασσαν κόλπον οὖσαν τῆς μεγάλης θαλάσσης. Verba autem quae proxime sequuntur: οὐ γάρ πω ἐξεύρηντο αἱ ἀρχαὶ τῆς Κασπίας θαλάσσης, nequaquam ita interpretari licet, ut auctor, cui Arrianus illud enuntiatum debet, iam notitiam Patroclis habuerit. Quin etiam falsum est existimare Patroclem ab Aristobulo usurpatum esse. Quod ex Aristobuli ipsius verbis elucet, cum narret Tanaim non in Maeotin, sed in mare Caspium influere. Etenim si hic scriptor iam id cognitum habuisset, quae Patrocles exploravisse sibi visus erat, mare Caspium cum Oceano cohaerere, fieri non potuit, ut asseveraret Tanaim et Iaxartem idem flumen esse, quoniam apud omnes constabat ὅτι διείργει τὴν Ἀσίαν ἀπὸ τῆς Εὐρώπης ὁ Τάναϊς ποταμός . . . .[3]). Aristobulus igitur cum Tanaim-Iaxartem in mare Caspium influere memoriae prodiderit, perspicuum est eum mare Caspium et Maeotin in unum cadere putavisse. Unde efficitur,

¹) Exped. VII 16,2.

²) Berger. l. l. p. 58 igitur haud recte iudicat, cum dicit Alexandrum ex auctoritate Ioniorum geographorum illud consilium cepisse.

³) Strab. p. 509 § 4.

ut Patroclis in mari Caspio cursus nondum cognoverit, ergo ante hunc auctorem scripserit. Quae cum ita sint, recte statuere me puto Aristobulum post annum a. Chr. n. 282 scribere non potuisse. Attamen cum Polycletus eum iam adhibuerit, terminus paucis annis ante constituendus est.

Multo igitur accuratius terminum definire possumus, ante quod tempus Aristobuli opus conscriptum esse nequeat. Aristobulus enim post annum demum a. Chr. n. 301 scribere potuit, cum iam proelii ad Ipsum commissi mentionem faciat.[1] Schoenius[2] autem suspicatur »Aristobulum post Casandri demum filiique eius Alexandri mortem, post annum igitur 294 vel 287 rerum gestarum historiam composuisse.« Cui sententiae maxime Aristobuli ipsius verba favent dicentis se octoginta quattuor annos natum historiam condere coepisse.[3] Porro cum hic auctor Megasthenem quoque inspexisse videatur,[4] coniectura quidem, quam Schoenius fecit, admodum probabilis est et ego quoque ei adstipuler, quia nihil impedit, ne hoc verum esse existimemus; at nequaquam necesse est ita iudicemus, cum Aristobulus iam illis regibus vivis historiae conscribendae studere potuerit.

---

1) Arrian. Exped. VII 18, 5.

2) Alfred Schoene: De rerum Alex. Magni script. imprimis Arriani et Plutarchi fontibus 1870 p. 24.

3) Fragm. Aristob. 1 ap. Muell. l. l p. 95.

4) cf. Strab. p. 714 § 61 . . . διατελεῖν . . οὕτως τὴν ἡμέραν ὅλην (Aristob.) ~ § 60 . . ἀσκεῖν . . ὥστ' ἐφ ἑνὸς σχήματος ἀκίνητον διατελέσαι τὴν ἡμέραν ὅλην (Megasth.) . § 61 . . τετταράκοντα ἔτη τῆς ἀσκήσεως, ἃ ὑπέσχετο (Aristob.) ~ § 59. ἔτη δ' ἑπτὰ καὶ τριάκοντα οὕτως ζήσαντα . . (Megasth.) . § 62 τὸ δὲ πλείους ἔχειν γυναῖκας. (Aristob.) = § 59. γαμεῖν δ' ὅτι πλείστας εἰς πολυτεκνίαν (Megasth.).

Utcumque autem res se habet id unum certe dici potest, Aristobulum post annum a. Chr. n. 301 et ante annum a. Chr. n. 282 scripsisse. Unde sequitur, ut Polycletus opus suum circa annum a. Chr. n. 290 condiderit.

Atque huic termino etiam ea, quae apud Eusebium leguntur,[1] optime conveniunt. Is enim bis Polycletum quendam Larissaeum laudat, qua de causa iam Niebuhrius[2] recte opinatus est alterum ex his eundem esse ac rerum Alexandri scriptorem. Ac priore quidem loco Eusebius Polycletum, patrem Olympiadis affert, uxoris Demetrii eius, cui nomen fuit ὁ Καλός.[3] Alter autem Polycletus est Eunomi pater; quem missum facere possumus. Nam cum Eunomus septuaginta annis post Antigonum Dosonem natum, nepotem illius Polycleti (sc. patris Olympiadis), praetor esset, i. e. anno a. Chr. n. 193/192, utriusque viri nihil nisi nomen idem esse censeo.

Demetrius, gener Polycleti, natus est circa annum a. Chr. n. 286[4] eiusque filius Antigonus Doson anno a. Chr. n. 263. Quodsi sumimus Olympiada circa annum a. Chr. n. 280 natam esse, vereor, ne eius pater, Polycletus, nondum expeditioni Alexandri inter-

---

1) Euseb. Chron. I p. 243 ed. Schöne.

2) Klein. hist. und philol. Schriften I p. 234 Anm. 43.

3) Demetr. Poliorcet.‿Ptolemais; Polycl. Lariss.
Demetr. ὁ Καλός‿Olympias
Antigonus Doson
natus 263 a. Chr. n.

4) cf. Droysen. Gesch. des Hellenismus III, 2 tabul. V »Die Antigoniden«.

fuerit. Atque haec quidem res non mediocriter nostrae sententiae favet, qualem supra exposuimus, Polycletum non comitem Alexandri sua sibi collegisse, sed scripta ceterorum supra laudatorum auctorum adhibuisse. Accedit quod Polycletum etiam Herodoto[1] et Ctesia[2] usum esse demonstrari potest.

Quae quamquam ita sunt, erraret tamen aliquis ratus Polycletum tantummodo ex aliorum auctorum libris suum opus conscripsisse nec non pro sua cum Macedonum regibus affinitate ex Alexandri tabulario satis multa hausisse.[3] Neque enim quidquam obstat, quin credamus Polycletum in Persiam et ipsum profectum Aristobuli et Megasthenis exemplo ea, quae suis collustraverit oculis, miscuisse cum librorum studiis.

Quibus expositis iam quaeramus, quantum Strabo in Persicis describendis Polycleto debeat. Qua in re absolvenda ita procedendum erit, ut primum breviter indagemus, utrum geographo Polycleti scripta ipsi ad manum fuerint, an per alios tantum scriptores innotuerint.

Strabo p. 509/510 Alexandri magni comites vehementer increpat, quod cupiditate adulandi commoti mare Caspium et Maeotin idem esse dixerint et Polycletum testem affert, qui illam sententiam argumentis confirmare contenderit. Geographum hoc loco Polycletum ipsum non inspexisse, sed totam expositionem et nomen

1) cf. infra p. 52 et p. 61 adn. 4.
2) cf. infra p. 53.
3) cf. Strab. p. 69 § 6. Eodem tabulario Patrocles postea usus est: τὴν δ' ἀναγραφὴν αὐτῷ δοθῆναί φησι ὕστερον . .

huius auctoris e libro Eratosthenis deprompsisse, iam Behrius recte dixit.[1] Eratosthenes enim Polycleti sententiam refellit Patroclis auctoritatem secutus[2] mare Caspium cum Oceano cohaerere rati, Maeotin igitur a mari Caspio disiunctam esse.[3]

Vidimus igitur non solum Clitarchum, sed etiam Eratosthenem Polycleto usos esse. Neque tamen Strabo, quamquam utrumque auctorem ipse inspexit, Polycleti notitiam per illos tantum habuit, sed mea quidem sententia in Persia describenda illo scriptore principe fere fonte usus est.

Polycletus enim in Persicis enarrandis ter auctor nominatim citatur. Eundem tamen in hoc capite multo uberius a geographo adhibitum esse brevi demonstrari potest. Facile est enim ad perspiciendum Strabonem fontem suum ex veterum consuetudine hic illic suppressisse ac tum praecipue laudavisse, cum narrationem quandam singularem auctoris sui testimonio confirmare aut alius scriptoris memoriam auctoritate illius refellere voluit. Ac primum quidem geographus p. 728 § 2 Polycleti auctoritatem secutus de circuitu urbis Susorum muris non circumdatae memorat, tum ibid. § 4 eodem intercedente narrat Choaspen, Eulaeum,

1) l. l. p. 17. cf. ibid. p. 32/33. Ex Eratosthene quoque mentionem Polycleti apud Strab. p. 742 fluxisse veri est simillimum, cum illud Polycleti fragmentis Eratosthenis inclusum sit. Praeterea verba, quae Strabo contra Polycletum profert, doctrinam atque rationem cogitandi illius scriptoris plane redolent.
2) Eratosthenem Patrocli maximam fidem habuisse notum est: cf. Strab. p. 69—70.
3) cf. Neumann. l. l. p. 183 adn.

Tigrin in unum lacum confluere; denique p. 735 § 21 ex illo scriptore de institutis in urbe Susorum et de moribus regum Persarum pauca quaedam profert. His locis semper de Susis et Susiane mentionem iniectam esse diligenter tenendum est. Ad vestigia enim Polycleti deprehendenda haud paullum inde adiuvabimur.

Videamus igitur, quid e locis nomen auctoris prae se ferentibus colligi possit.

Geographus enim postquam generatim de natura Persiae disputavit, p. 728 § 2 ad singulas huius regionis partes describendas transit. Ac primum quidem copiose Susianen et Susa caput describit, quibus de rebus praeter Diodorum gravissimus auctor est. Quare haud iniuria concludemus Strabonem hoc loco vestigia scriptoris cuiusdam pressisse, cuius operis aliunde nullam notitiam habemus. Vogelius[1] sane descriptionem Strabonianam certo auctori vindicare non ausus cautius egit; nam cum Polycletus nominatim in extrema paragrapho 2 de Susis testis laudetur,[2] mirum futurum fuisset, si geographus ex alio ac Polycleto auctore sua deprompsisset. Totam vero narrationem huic scriptori deberi ex hac re colligi posse mihi videtur. Legimus apud Strabonem descriptionem, quae partim cum Herodoto partim cum Ctesia convenit. Strabonis enim verba: λέγονται δὲ καὶ Κίσσιοι οἱ Σούσιοι ex Herodoti opere hausta esse videntur, qui III 91 haec habet: ἀπὸ Σούσων δὲ καὶ τῆς ἄλλης Κισσίων χώρης .... Idem V 53 narrat arci Memnonio nomen fuisse.[3]

[1]) l. l. p. 40/41.

[2]) Πολύκλειτος δὲ ... cf. supra p. 25. adn. 1.

[3]) Geffckenius dubitat, num hoc enuntiatum ex Herodoto fluxisse putandum sit, quod eadem res apud alios quoque scriptores legatur. cf. Pausan. IV 31, 5; Ael. N. A. V 1. Sed cum Polycletus (apud Strab. p. 735) denuo Herodoti opus evolvisse videatur (cf. infra p. 61 adn. 4), illum hoc quoque loco (p. 728) sua eidem auctori debere crediderim.

Reliqua autem descriptio, quae apud geographum exstat, tantopere convenit cum eis, quae Diodorus praebet, ut omnia ex eodem fonte fluxisse existimanda sint. Apud Diodorum enim II 22 haec scripta sunt: οἰκοδομῆσαι δ' αὐτὸν (sc. Μέμνονα τὸν Τιθωνοῦ) ἐπὶ τῆς ἄκρας τὰ ἐν Σούσοις βασίλεια ... κληθέντα δ' ἀπ' ἐκείνου Μεμνόνεια. Diodorus cum hoc loco sua e libro Ctesiae sumpserit, ut Krumbholzius[1] ostendit, Strabonem autem illum auctorem ipsum non inspexisse veri sit simillimum,[2] patet geographum in paragrapho 2 componenda scriptorem quendam secutum esse, qui et Herodoti et Ctesiae libros evolvit. Atque hic scriptor nemo alius est nisi Polycletus, quem infra illis auctoribus usum esse denuo videbimus. Nostrae autem sententiae illud quoque maxime asservit, quod Strabo, ut paulo ante monuimus, aliis locis eundem Polycletum de Susis auctorem affert. Praeterea iam vidimus Polycleto in opere suo conscribendo diversorum scriptorum memorias praesto fuisse. Itaque si media in narratione Aeschylus et Simonides testes appellantur, Strabonem hos auctores hic non ipsum legisse, sed Polycleti opera adhibuisse putaverim.[3]

[1]) Mus. Rhen. vol. 52. N. S. 1897 p. 251 sqq.

[2]) cf. Vogel. l. l. p. 49/50.

[3]) Contra Geffckenium Strabonem illos auctores hic ipsum adisse existimantem omnia ex uno fonte a geographo derivata esse dixerim.

At obstat unum: nonne Clitarchus et Polycleti[1] et Ctesiae[2] scripta versavit? Recte quidem dixeris, sed Straboni in paragr. 2 Clitarchum ante oculos fuisse nullus crediderim. Ex quo si geographus hic hausisset, unum certe ex eis, qui etiamnunc exstant, rerum Alexandri scriptoribus, quos eodem Clitarcho usos esse constat, idem narraturum fuisse manifestum esset. Quare in eo nobis acquiescendum est, quod supra contendimus, Strabonem opus Polycleti ipsum inspexisse.

Iam ut proxima persequar, ea, quae in paragrapho 3 leguntur, artissime cum antecedentibus cohaerent et iam ideo ex eodem fonte fluxisse putanda sunt, quippe quae fragmentis Polycleti ipsis concludantur. Idem enim § 2 et § 4 nominatim a geographo testis affertur. Itaque iam per se veri simile est narrationem quoque in paragr. 3 Polycleto deberi. Praeterea descriptio in hac paragrapho tam similis est eorum, quae in § 2 narrantur, ut primo aspectu pateat omnia ex uno eodemque fonte derivata esse.

Paulo autem difficilior est quaestio, utrum Strabo totam paragr. 4 ex Polycleto petiverit an praeter hunc auctorem alios fontes adierit. Nam hoc loco, quo denuo de Susis et Susiane describenda agitur, narrationes variorum scriptorum collatas invenimus, quae praeter Polycletum ad Nearchum et Aristobulum redeunt. Quomodo illud expediendum est? Geographus ipse diversos auctores hoc loco inspexit, an alius hos scriptor ei suppeditavit? Atque ut in singula inquiram, Nearchus illius fons fuisse nequit. Nam is cum eis, quae apud Strabonem initio § 4 leguntur, aperte pugnat. Ubi ora Susianes ab

[1]) vid. supra p. 40. [2]) cf. Krumbholz. l. l. p. 260 sqq.

Oroatide flumine usque ad Tigrin in mare Persicum influentem pertinere dicitur, Nearchus autem, id quod in Onesicritum quoque cadit,[1] Euphratem orae finem esse[1] tradit. Ac variis quidem argumentis eo adducor, ut existimem illum Tigrin fluvium non eundem esse ac Nearchi Pasitigrin. Primum enim Nearchum ipsum testem afferre liceat negantem Tigrin et Pasitigrin unum et eundem fluvium esse;[2] tum relatio init. § 4 de ora Susianes tria milia stad. in longitudinem patente a Nearchi sententia discedit affirmantis Pasitigrin ab Oroatide duo milia stad. abesse,[2] denique geographus ipse in paragr. 6 Polycletum secutus — nam de hoc auctore solo hic cogitari posse infra demonstrabimus — Pasitigrin ut peculiare flumen enumerat. Ex Nearcho igitur Strabo illam rem relatam deprompsisse nequit, id quod etiam multo clarius fit hac re, quod ille Choaspen, cuius fluminis geographus mentionem facit, numquam laudat. Contra narrationem subsequentem de angustiis inter Persiam et Susianen intercedentibus Nearcheam esse videbimus. Sed de hac re quid censeamus, paulo post exponendum erit.

Apud Aristobulum vero eandem rem deprehendimus. Is quidem Euphratem cum Tigride coniunctum in mare Persicum influere auctor est,[3] ipse tamen numquam Choaspen, sed semper Eulaeum nominat.[4]

[1]) p. 729 § 5. Arrian. Ind. XXXXI 6. Plin. H. N. 23, 99.

[2]) Arrian. Ind. XXXXII 1, 4—5; Strab. p. 729 § 5, cf. Forbiger. Handbuch der alten Geographie II 1844 p. 68 adn. 46.

[3]) Arrian. Exped. VII 7 et 21, cf. supra p. 45 adn. 2.

[4]) Arrian VII 7, 2.

Quare de hoc auctore quoque ut Strabonis fonte hic cogitandum non est. Relationen autem paulo infra insertam in fluminibus Persicis cataractas esse factas ad Aristobulum redire supra satis docuisse mihi videor.[1]

Sed iam sententiam meam expromo. Cum enim illud Aristobuli Polycleto deberi viderimus statuendum esse patet sic: Strabo non ipse varia illorum scriptorum testimonia hoc loco ex alio aliud depromens conscripsit, sed omnia ex uno Polycleto media in narratione[2] nominatim laudato petivit. Neque id mirum est, si supra recte exposuimus, Polycletum in opere suo componendo e pluribus auctoribus multa concinnavisse. Haec quidem sententia duobus etiam argumentis confirmatur, quorum primum est, quod Choaspes, quem Polycletus profert, in antecedentibus quoque nominatur, alterum idque gravius, quod narrationem Polycleto citato p. 728 § 4 proxime praecedentem de angustiis supra laudatis hominibusque, qui illas incolunt, esse Nearcheam Strabo auctor est.[3] Geographum enim ipsum hanc relationem memoriter ex Nearcho attulisse, iam ideo negandum est, quod huius verba artissime cum eis coniuncta sunt, quorum Nearchum auctorem esse non posse supra demonstravimus; ergo ex uno fonte descriptio fluxisse iudicanda est. Polycletus autem ipse quoque eundem auctorem hoc loco non inspexisse,[4] sed per Aristobulum adhibuisse videtur, quem

[1]) p. 45.

[2]) φησὶ δὲ Πολύκλειτος . . cf. supra p. 25 adn. 1.

[3]) p. 524 § 6.

[4]) Quamquam Nearchi scripta Polycleto ipsi ad manum fuisse verisimile esse putaverim. cf. infra p. 65.

ab illo paulo infra de cataractis in fluminibus Persicis instructis usurpatum esse ostendimus. Eadem enim sunt, quae Arrianus[1] ex Aristobuli[2] auctoritate de Uxiis memorat. Itaque cum illud nomine Polycleti pronuntiatum Aristobuli fragmentis inclusum sit perlucidum est totam descriptionem ex illius opere petitam esse.

Hic igitur fortasse quispiam suspicetur Eratosthenem aut Clitarchum varias relationes compegisse, praesertim cum uterque Polycleto ceterisque auctoribus modo laudatis usus esse videatur. Sed iam Vogelius[3] recte monuit geographi auctorem non esse Eratosthenem, quippe quem Strabo p. 80 haec dicentem faciat: τὸ δὲ νότιον, φησί, παρὰ μὲν τὴν θάλατταν οὐκ ἔστι λαβεῖν διὰ τὸ τὸν Περσικὸν ἐμπίπτειν κόλπον. Cum enim p. 728 § 4 longitudo orae accurate descripta sit, veri quidem dissimillimum est Strabonem suam notitiam ex Eratosthene habuisse.

Sed multo maioris momenti, id quod Vogelius neglexit, est quod Tigris in mare Persicum influere perhibetur. Eratosthenes enim affirmat hunc fluvium cum Euphrate coniunctum esse:[4] φράζων τὸ σχῆμα τῆς Μεσοποταμίας, ὃ ποιοῦσι συμπίπτοντες εἰς ἓν ὅ τε Τίγρις καὶ ὁ Εὐφράτης: et Euphra-

[1]) Exped. III 17, 1 sqq. Eandem descriptionem in Itinerario Alex. Magni legimus ap. Muell. l. l. p. 161 cap. 66. Itinerarium autem Aristobuli memoriam prodere videtur.

[2]) Fraenkel. l. l. p. 272 Arrian. Exped. III 17, 1—6 Aristobulo vindicat.

[3]) l. l. 42.

[4]) Strab. p. 79 § 23.

tem solum in mare influere:[1] (Εὐφράτην) ἐκπίπτειν εἰς τὸν Περσικὸν κόλπον.

Idem in Clitarchum cadit. Qui et ipse apud Curtium Euphratis ostium tantum laudat:[2] »Rex cognoscendi plura cupidine accensus rursus eos terram legere iubet, donec ad Euphratis ostia appellerent classem . . . .«

Attamen multo etiam magis aliud argumentum nos iuvat. Apud nullum enim eorum rerum Alexandri scriptorum, qui etiamnunc sunt quosque Clitarchum inspexisse scimus, eandem Polycleti narrationem, qualis apud Strabonem p. 728 § 4 scripta est, deprehendimus. Neque illa, quae geographus p. 728 § 2 et p. 735 § 21 ex Polycleto praebet, Clitarchus tradidisse videtur, qui tamen ea non ita copiose perscripsit, ut Strabo ex hoc auctore illius notitiam habere potuerit.[3]

Quae cum ita sint, facere non possumus, quin statuamus Polycletum ipsi geographo ante oculos fuisse. Neque id quidem parvi ponderis est; cum enim multa, quorum fontem geographus non nominat, apud ceteros auctores non legantur, nunc iam iusto iure concludere licebit, illum in Persicis describendis principem fontem Polycletum secutum esse.

---

[1]) Strab. p. 80 § 26. cf. Weissbach. apud Pauly-Wissowa s. v. Euphrates col. 1201.

[2]) X 1, 16: idem Diod. XVII 107 memorat.

[3]) Velim conferas: Curt. V 2,9 . . . ad Choaspen amnem pervenit, delicatam, ut fama est, vehentem aquam ∼ Strab. p. 735 § 22 (vid. infra p. 61). Curt. V 2, 11—12 et Diod. XVII 66 ∼ Strab. p. 735 § 21. Curt. V 2, 12: multi reges tantas opes longa aetate cumulaverant ∼ Strab. p. 729 § 6: τὰ γαζοφυλάκια, ἃ τοσούτοις χρόνοις ἐξεπεπλήρωτο. (vid. infra p. 69).

Iam restat, ut de tertio loco (p. 735 § 21), quo Polycletus a Strabone testis profertur, breviter dicam. Sed priusquam res ab illo scriptore traditas accuratius inspiciamus, de fontibus, ex quibus geographus narrationem in paragraphis antecedentibus conditam sumpserit, pauca praemonenda esse videntur.

Strabo enim geographica Susianes et Persiae descriptione ad finem perducta p. 732 § 13 ad mores institutaque Persarum copiose enarranda transit; qua in parte usque ad § 21 perseverat auctore, cui sua debet, non nominato. Pleraque autem hoc loco Herodoto deberi facile intellegitur. Cuius descriptioni aliorum etiam scriptorum testimonia inserta sunt, quae ad Ctesiam, Dinonem, alios redire Vogelius monuit. Strabo ipse perspicue ad duos vel potius tres fontes spectat cum dicit: § 13 (περὶ ὧν εἰρήκασι μὲν πλείους.) ὥς λέγουσί τινες et § 15 ταῦτα μὲν ὄυν ἡμεῖς ἑωράκαμεν, ἐκεῖνα δ' ἐν ταῖς ἱστορίαις λέγεται καὶ τὰ ἐφεξῆς. Quaeritur igitur, utrum Strabo Herodoti opus hoc loco ipse evolverit, an illius narrationem aliorum auctorum relationibus auctam ex uno fonte petiverit. Supra autem iam exposuimus geographum, quamvis Herodoti fidem in dubium vocaret, tamen haud raro illius libros versavisse. Itaque cum Vogelio[1] consentiens existimo Strabonem hoc loco Herodotum ipsum evolvisse. Atquehoc ita esse ex geographi verbis ipsis elucet. Qui cum dicat § 15 extr. ἐκεῖνα (sc. illa § 13—14 ex Herodoto sumpta) δ' ἐν ταῖς ἱστορίαις λέγεται καὶ τὰ

---

[1]) l. l. p. 49.

ἐφεξῆς et § 16 Herodotum (I. 138) exscribere pergat, eiusdem libros illi ipsi ante oculos fuisse manifestum est. Praeterea facili opera intellegitur voci, quae est ἱστορίαι, Herodotum solum subesse, cum prorsus a Strabonis consuetudine abhorreat scriptores rerum Alexandri aut aequalium libros ita citare.

Strabo vero variorum rerum Persicarum scriptorum opera se cognovisse ipse testatur his verbis init. § 13 (p. 732): τὰ ἔθη . . . . περὶ ὧν εἰρήκασι μὲν πλείους. Ac recte quidem Vogelius[1] monuit ea, quae ab illo narrationi Herodoteae addita essent, ad plures auctores redire. Quaestio autem instituenda est, quos auctores geographus adierit. Facile sane est aliquem fontem designare, difficilius argumenta ad persuadendum satis idonea proferre.

Sed singulis persequendis supersedeo, cum Vogelius de hac re uberius disputaverit. Constat quidem id unum auctores vel potius eum auctorem, quo Strabo praeter Herodotum usus sit, rerum Persicarum haud imperitum fuisse. Dinonem,[2] quocum illa narrationi Strabonianae in § 13 et 14 inserta satis bene congruunt, hoc loco a geographo evolutum esse Vogelius haud iniuria negat, sed rectene dixerit[3] Batonem Sinopensem ei praesto fuisse valde dubito; argumenta certe, quae Vogelius profert, levissima sunt.

Cur autem operam consumimus in eo auctore indagando, quem geographus ipse aperte nominat? Nam

¹) l. l. p. 49.
²) Fragm. 8 et 9 ap. Muell. F. H. Gr. II p. 91.
³) l. l. p. 51.

cum dicat p. 735 § 21: Ἔστι δ' ἴσως καὶ ταῦτα τῶν ἐθίμων, ἅ φησι Πολύκλειτος, ex his verbis non modo non apparet Polycletum antea nondum adhibitum, sed mea quidem sententia hunc ipsum auctorem iam inspectum esse patet, dummodo illa verba recte interpretemur.[1] Neque enim vox Πολύκλειτος sola premenda est, sed καὶ ταῦτα, ita, ut Strabo etiam pauca quaedam ex eodem auctore addat.

Vides quam bene haec cum sententia nostra concinant. Itaque persuasum habeo non Ctesiam neque Hellanicum, non Dinonem neque Batonem hoc loco a Strabone usurpatos esse; immo Polycletus solus, cuius relatio ipsa narrationi illi ex Herodoto depromptae annexa est, ille fons est habendus, cui omnia ab Herodoto diversa debeantur. Neque vero haec sententia eo everti potest, quod memoria in extrema paragr. 20, ut Vogelius monuit, de matrimonio filiorum et matrum ad Ctesiam redit;[2] immo hoc ipsum pro nobis pugnat, cum Polycletum Ctesiae libros in suum usum convertisse supra demonstraverimus.[3]

Pag. 735 § 21 tandem ex more suo Strabo auctorem suum in lucem profert. Ac primum quidem Polycleto auctore de vectigalibus a Dareo institutis[4] disserit; deinde in subsequenti § 22 reges magnis divitiis in luxuriam incidisse memorat. Quam narrationem, quamquam non

¹) Geffckenius quidem Strabonis verbis hanc sententiam eliciendam esse negat.
²) l. l. p. 50.
³) p. 53.
⁴) cf. Herod. III 89 sqq.; ad extrem. § 21 conferas Herod. III 96.

iam e Polycleto citato pendet, tamen huic auctori tribuendam esse censeo.[1] Nam totam hanc paragr. cum antecedenti conexam esse quivis intelleget.

Gravior autem quaestio foret, unde Polycletus sua sumpserit. Quam plane solvi posse equidem desperans veri non dissimile esse putaverim Ctesiam ab eo adhibitum esse, quocum Strabo de Eulaei aqua consentit,[2] quemque a Polycleto saepius adhibitum esse constat.

Dixi de eis locis cum Polycleti fragmentis ipsius arte cohaerentibus; restat, ut demonstrem magnam partem eius narrationis, cuius geographus fontem suppressit, ex eodem scriptore fluxisse.

Proficiscendum autem mihi videtur a paragrapho 10 (p. 731), qua accurata Susianes descriptio exhibetur,

---

[1]) Eandem rationem apud Strab. p. 699 § 30 invenimus. Ubi his verbis: ἴδιον δὲ τῶν Καθαίων . . . ad orationem rectam transit, quamquam omnia uni fonti, Clitarcho, debentur. cf. supra p. 22.

[2]) Ctes. fragm. 49 ap. Muell. in vol. Herod. p. 77 . . . λέγων αὐτὸ καὶ ἐλαφρότατον καὶ ἥδιστον εἶναι. Polycletus (et Plin. l. l. VI 31, 135) de Eulaeo idem memorat, quod apud Herod. I 188, Ctesiam l. l., Curt. V 2, 9 de Choaspe, narratur. Itaque Polycletum illud de utroque flumine tradidisse crediderim, quippe qui in unum cadant (cf. Forbiger. Handbuch der alten Geographie II 1844 p. 581 adn. 60). Hoc enim ex eo apparere mihi videtur, quod Clitarchus apud Curtium non Eulaeum, sed Choaspen nominat (cf. supra p. 58 adn. 3 et p. 68 adn. 1) Si vero Polycletus apud Strabonem p. 728 § 4 refert Choaspen et Eulaeum in lacum influere, illum significare unum coniunctum flumen consentaneum est, aeque ac Euphrates quoque et Tigris in mare Persicum se effundere dicuntur (cf. Strab. p. 527 § 2 ἀμφότεροι δὲ τελευτῶσιν εἰς τὸν Περσικὸν κόλπον), quamquam hos fluvios uno ostio in mare influere constat. Sed haec quaestio difficilior est, quam quae paucis absolvi possit. Conferas, quae Weissbachius apud Pauly-Wissowa s. v.v. Eulaios, Choaspes, Euphrates de his fluminibus disputavit.

cuius quidem auctor non laudatur; sed iam Vogelius summo iure totam hanc narrationem Polycleto vindicavit verbis his:[1] »recte tamen Muell. l. l. animadvertit reliquiarum« (sc. libr. Polycleti) »maximam partem spectare ad res geographicas. . . . Altera autem causa cur illa ei vindicanda esse censeam haec est: de urbe Susis unus Polycletus a Strab. testis citatur, hoc autem loco haec legimus: ἡ Σουσὶς ἔκπυρον τὸν ἀέρα — καὶ μάλιστα τὸν περὶ τὴν πόλιν — deinde μὴ φθάνειν τὰς ὁδοὺς ἐν τῇ πόλει etc.« —

Strabo de auctore suo haec tantum affert: ὥς φησιν ἐκεῖνος. Cum vero in antecedentibus fons nusquam nominetur, necesse est ex narratione ipsa quis fuerit eruamus. Nam tantum abest, ut Vogelii vestigia premam dicentis aut verba corrupta esse aut pauca excidisse, ut Strabonem memoria tantum lapsum esse censeam. Quicumque enim geographum ipsum perlustraverit, non ignorat exempla exsistere, quae haud raro mirum quendam in modum pronomina demonstrativa ab illo usurpata esse doceant.[2]

---

[1]) l. l. p. 47.

[2]) p. 694 § 21 Strabo Onesicritum et Aristobulum secutus de miris arboribus in India disputat; in extrema paragrapho, haec verba addit: καὶ τῶν ἐριοφόρων δένδρων φησὶν οὗτος. Quamquam vox οὗτος ad unum Aristobulum referenda est, tamen Onesicritus significatur, ut ex subsequenti narratione apparet (cf. Vogel. l. l. p. 11). Hoc loco vox οὗτος non aliter interpretanda est nisi quod Strabo temere eam repetivit, cum paulo ante eadem voce iam usus sit. Similiter res se habet p. 695 § 22, ubi Aristotele citato vox οὗτος, quae in subsequenti § 23 est, non ad Aristotelem, sed ad Onesicritum redit. Ac fortasse ex hac re colligi potest Strabonem hoc loco Aristotelem non ipsum, sed per Onesicritum adhibuisse.

Quod vero Strabo ἐκεῖνος dicit pro οὗτος, nihil habet offensionis, cum illis vocibus plane promiscue usus sit. cf. p. 677

Quaestio igitur cum sit quisnam voci ἐκεῖνος subsit, de Onesicrito, Aristobulo, Polycleto tantum cogitari potest. E quibus auctoribus Vogelius suo iure Onesicritum missum facit; species enim ipsa totius narrationis satis videtur demonstrare Strabonem hoc loco non secutum esse hunc auctorem; quippe qui in libris suis pessimae fidei convictis a tanta diligentia, quantam hic in singulis rebus observandis deprehendimus, prorsus abhorreat.

Neque Aristobulus, quamvis rebus geographicis describendis operam dederit, Strabonis fons esse potuit. Id cum aliis ex rebus tum inde vel maxime apparet, quod neque Arrianus neque ceteri rerum Alexandri scriptores similia memoriae tradiderunt.

Manifestum igitur est Strabonem in paragrapho 10 conscribenda vestigia scriptoris cuiusdam pressisse, ex quo solus singularia quaedam tradidit: Polycletum dico, cui uni tota narratio debetur. Reputantibus enim nobis hic de Susorum descriptione agi et Strabonem, ut supra exposuimus, Polycletum primum et praecipuum fontem de Susis secutum esse, satis patet eundem hoc quoque loco ab illo exscriptum esse.

Neque aliter de paragr. 11 iudicandum est; quae Vogelius quidem non debebat dubitare, cui vindicanda esset, praesertim cum totius narrationis tenor ac conexus turbatus foret, si, quae hoc loco leguntur: πολύσιτος

§ 22 ὁ γὰρ Ἀπολλόδωρος . . . . οὐδὲ γὰρ ἐκεῖνος. p. 675 § 16 . . . . καὶ Σοφοκλῆς, ... καλέσας ἐκεῖνος. p. 674 § 14 . . . . συνεβίωσε Μάρκῳ Κάτωνι καὶ ἐτελεύτα παρ' ἐκείνῳ. . . . . p. 586 § 9 . . καθ' Ὅμηρον. λέγει δ' ἐκεῖνος (sc. Ὅμηρος). . . .

δ' ἄγαν ἐστὶν . . . dirimeremus. Namque haec verba descriptione illa antecedenti (§ 10) neglecta prorsus non intellegi possunt. Pergit igitur geographus in Susiane describenda, cum exponat hanc regionem, quamvis calore prematur, tamen fertilem esse.

Sequitur in extrema § 11 descriptio orae Susianes. Cum Nearchus, quem Strabo auctorem suum dicit, p. 729 § 5 iam de hac re usurpatus sit, equidem suspicer Strabonem illum hoc loco non ipsum adhibuisse, sed iam citatum invenisse a Polycleto.[1] Etenim hunc non modo mediam terram, verum etiam oram maritimam descripsisse per se verisimile est.

Postquam igitur probabile esse duximus § 10 et 11 ex Polycleto fluxisse, in promptu est ea quoque, quae in § 9 narrantur, eidem auctori tribuenda esse. Nam altera paragr. arte conexa est cum altera, cum in § 10 expediatur, qua de causa non Susa, sed Babylon ab Alexandro regum sedes electa sit. Primo autem obtutu patet hanc paragraphum 9 varias narrationes continere, quas ad Aristobulum, Clitarchum, Polycletum redire Vogelius uberius ostendit.[2] Idem vero recte monuit illos scriptores hoc loco a geographo ipso non esse evolutos. Ergo omnia ex uno fonte manasse existimanda sunt. Quaerentibus autem, quis tandem auctor fuerit huius operis, Vogelius quidem ita respondet, ut opus quoddam varia illa testimonia complexum esse neget, et cum alia via non patere ei videatur, qua illa difficultas enucleari possit, ad Alexandri historiam

[1]) cf. supra p. 44.
[2]) l. l. p. 45/46.

a geographo conscriptam confugit. Neque tamen mihi persuasit; nullo enim certo argumento nititur. Nam de illa Alexandri historia a Strabone peculiari quodam opere conscripta nequaquam constat; immo vero liber iste doctorum virorum tantum cogitationibus originem suam debere videtur,[1] ita ut refugium quodammodo sit commodissimum, quo omnes narrationes, quae ad nullum certum Strabonis auctorem referri possunt, condantur. Strabo enim, uno loco (p. 70) excepto, nusquam talem librum respicit; atque id quam maxime est mirum. Nam quicumque geographi haud sane suae laudis obtrectatoris morem ac consuetudinem diligenter pensitaverit, facile concedet eundem, si ex illa historia hausisset sine dubio eum respecturum fuisse.[2]

Sed redeamus, unde profecti sumus. Cum enim ea, quae apud Strabonem p. 731 § 9 leguntur, modo Aristobuli modo Clitarchi[3] similia videantur esse, sed cum neutro conveniant et pleraque, ut Vogelius rectissime

[1]) Luedeckii inventum (l. l. p. 14 sqq.), qui quidem omnes locos inter Curtium, Plutarchum, Arrianum, Strabonem consentientes ex eodem Strabone derivandos esse censet, nullius esse pretii evicisse mihi videtur Ed. Schwartzius apud. Pauly-Wissowa s. v. Arrian. col. 1244/45. Sed velim ipse inspicias librum Luedeckii, cui P. Otto: Strabonis ἱστορικῶν ὑπομνημάτων fragmenta. Leipz. Stud. XI Supplem. p. 9 adstipulatur. Equidem Schwartzii sententiae subscribo affirmantis illa Strabonis verba (p. 70 § 9), quae sola totum errorem effecerunt: ὑπομνηματιζομένοις ἀςτ Ἀλεξάνδρου πράξεις ea tantum intellegenda esse, quae geographus e pluribus scriptoribus rerum Alexandri excerpta ad geographiam adhibuerit.

[2]) cf. Strab. p. 13 et 14.

[3]) Si Clitarchus, ut Vogelius ostendit, magnam partem cum Strabone consentit, ex hac re nihil colligere debemus. Nam Clitarchum et Aristobulo et Polycleto usum esse satis constat.

dicit, »a rivulis potius quam ab ipsis fontibus arcessita sint«, facere non possum, quin existimem, Strabonem certo cuidam operi totam narrationem debere. Atque hoc quidem opus Polycleti est, quem variorum scriptorum testimonia contulisse iam saepius cognovimus. Praeterea haec verba: τὰ Σοῦσα καὶ αὐτὰ θησαυρῶν καὶ κατασκευῆς μεστά, quae in initio paragr. 9 exstant, aperte ad hunc auctorem spectant.[1]

De eis, quae in § 7 et 8 de sepulcro Cyri et Darei narrantur, non est cur disputemus, quoniam Strabo auctores Aristobulum, Onesicritum, Aristum quendam Salaminium nominatim affert. Denuo autem respuenda mihi videtur sententia Luedeckii[2] affirmantis Strabonem has paragraphos ex suo ipsius opere historico transtulisse in geographica. Id unum enim patet geographum hic plane in historicum genus dicendi abisse.[3] Neque tamen quidquam obstat, quin eum hoc loco illos scriptores ipsum in suum usum convertisse credamus.

Reliquum est, ut quaeramus, quem auctorem Strabo in § 6 (p. 729) secutus sit. Iam supra autem cum adnotaverimus Polycletum in hac paragrapho adhibitum esse, rem ita se habere nonnullis argumentis comprobare liceat.

Strabo enim relationibus Nearchi et Onesicriti § 5 interpositis expeditionem Alexandri e finibus Uxiorum describere pergit idque ita, ut aperte ad verba § 4 παρεμπίπτει γάρ τις ὀρεινὴ τραχεῖα . . . respiciat, cum dicit:

[1]) cf. Strab. p. 735 § 21.

[2]) l. l. p. 16.

[3]) Verba quidem in initio § 7: Εἶτ' εἰς Πασαργάδας ἧκε. ex eodem fonte atque ea, quae in antecedenti § 6 leguntur,

Ἔστι δὲ καὶ ἄλλα πλείω στενὰ διεκβάλλοντι τὰ ἐν τοῖς Οὐξίοις κατ' ἀυτὴν τὴν Περσίδα . . . Unde sequitur, ut in utraque paragrapho idem auctor adhibitus sit. Ac vero, si leviter tantum utramque paragr. comparaveris, facili opera perspicies rationem totius descriptionis plane eandem esse. Narrationem enim in paragr. 6 item ad varios scriptores spectare facile est intellectu. Atque id quidem statim apertum est geographum ex fonte quodam hausisse, qui nulli ceterorum rerum Alexandri scriptorum, quorum libri etiamnunc exstant, patuerit. Namque cum hoc loco Choaspes, Copratas, Cyrus, Araxes, Medus flumina laudentur,[1] Aristobulum auctorem illius descriptionis Strabonianae esse non potuisse ex fragmentis satis constat; at narratio, quam in extrema paragrapho de Persepoli incensa legimus, est Aristobuli, ut ex consensu inter Strabonem et Arrianum[2] intercedente apparet.

Clitarchus[3] quidem ipse quoque de Persepoli deleta narrat, longe tamen ab Aristobuli sententia discedit, cum tradit Alexandrum ebrium Thaide auctore regias

---

fluxisse putanda esse illud διεξιών in initio § 6 demonstrat. Sed cum geographus hic (§ 6) Polycletum secutus esse videatur (vid. infra) eum, id quod saepius facere solet (cf. e. g. p. 729 § 5), copiosiores Aristobuli, Onesicriti, Aristi narrationes descriptioni Polycleti inseruisse opinor.

[1]) Curtius quidem Araxem, Medum, Choaspen memorat idque Clitarchum secutus:

Curt. V 2, 8 sqq. = Diod. XVII 65/66
Curt. V 5, 2 = Diod. XVII 69
Curt. V 4, 7 = Diod. XVII 68

Diodorus quoque XIX 18 Copratam laudat.

[2]) Exped. III 18, 12.

[3]) Curtius V 7, 3 sqq.; Diod. XVII 72; Plut. Alex. 38.

incendisse;[1] Straboni igitur hoc loco ad manum fuisse nequit.

Perversa autem Vogelii[2] sententia esse mihi videtur, qui geographo ab alio quodam scriptore iam omnia commodata esse non ratus suspicatur illum aut ipsum totam descriptionem »ex eo libro quem ipse de Alexandro edidisset aut e pluribus scriptoribus rerum Alexandri depromptam ad ipsius usum quadravisse.«

Quod primum ad hanc Alexandri historiam a geographo conditam attinet, de hac quaestione quid censeamus, supra satis exposuimus, deinde vero nullus crediderim Strabonem tantam testimoniorum congeriem tam variorum auctorum sibi collegisse; immo totam § 6 uni scriptori esse vindicandam censeo. Etenim si narrationem in hac paragrapho perlegeris, relationem de Persepoli arte cum antecedenti fluminum descriptione conexam esse dices. Sed cum neque Aristobulus neque ceteri Alexandri comites illorum fluminum mentionem faciant, manifestum est Strabonem hoc loco scriptoris cuiusdam vestigia pressisse, qui Aristobuli memoriam de Persepoli eversa adhibuit. De Clitarcho, ut vidimus, cogitari cum nequeat, Polycletus solus restat, quem Choaspen, hic primum fluvium nominatum, iam in paragr. 4 laudavisse constat cuiusque descriptionem Strabo in initio huius paragr. aperte respexit. Accedit quod verba:[3] τὰ γαζοφυλάκια, ἃ τοσούτοις χρόνοις ἐξεπεπλήρωτο, οἷς ἐδασμολόγησαν Πέρσαι τὴν Ἀσίαν

---

[1]) Conferas, quae Schwartzius ap. Pauly-Wissowa s. v. Curtius col. 1881 rectissime exposuit.

[2]) l. l. p. 44 cf. Fraenkel. l. l. p. 273.

[3]) cf. supra p. 58 adn. 3.

prorsus Polycleti scientiam resipiunt, quem res Susis accurate perspectas habuisse supra ostendimus.

Haec habui de Polycleto, quae dicerem; restat, ut breviter complectar, quid de hoc auctore invenisse mihi videar.

Primum vidimus Polycletum in opere suo conscribendo, quod circa annum a. Chr. n 290 conditum esse videtur, plures scriptoribus in suum usum conversis Aristobuli, Nearchi, Onesicriti libros inspexisse. Neque vero solum ex comitum Alexandri Magni narrationibus hausit, sed etiam superiores auctores evolvit: Herodoti et Ctesiae, Aeschyli et Simonidis (?) scripta versavit. Qua ex re iusto iure concludere debemus opus Polycleti fuisse doctissimum. Deinde Clitarchum et Eratosthenem eius libros adhibuisse satis demonstratum est. Neque vero geographum, quamquam utrumque auctorem ipsum in manibus habuisse et etiam p. 509 Eratosthenis opera Polycleto usum esse constat, Polycleti notitiam ex illis auctoribus tantum deprompsisse, sed hunc scriptorem ipsum adisse exposuimus. Ex eodem igitur fonte §§ 2—4, § 6, §§ 9—11, §§ 21—22 manasse existimandae sunt. In universum autem concludemus opus illius locupletissimum et uberrimum fuisse; quem quidem octo minimum libros conscripsisse Athenaeus (XII p. 539a fragm. 8 ap. Muell. l. l.) auctor est.

Vita.

Natus sum Ericus Augustus Theodorus Johannes Schulz, Dr. Gulielmi Schulzii filius eiusque uxoris Sophiae e gente Lindemann, Non. Nov. anni 1882 in vico Magni ducatus Megalopolitani Suerinensis, qui Lüdershagen vocatur, ubi pater est Pastor. Principiis litterarum in domo patria eruditus inde ab anno 1900 gymnasium Rostochiense frequentavi. Anno 1904 maturitatis testimonio ornatus primum Rostochii, deinde Lipsiae, tum inde ab autumno anni 1905 rursus Rostochii in studiis philologicis et historicis versatus sum. Docuerunt me viri doctissimi Volkelt, Bücher, Brugmann, Schulz aliique Lipsienses; Erhardt, Golther, Kern, Plasberg, Geffcken, Lüders, Bloch, Kolbe, Watzinger Rostochienses. Seminario philologico Rostochiensi interfui per sexies senos menses, quorum per bis senos menses sodalis fui primi ordinis. Exercitationum historicarum, ad quas Bloch benigne me admisit, per octies senos menses particeps fui, quorum per tria semestria Historicae Societati interfui. Omnibus viris doctissimis optime de me meritis hic grato animo gratias quam maximas ago, imprimis viro Geffckenio, qui his meis studiis magnopere favit.